IN JACOBI AVGVSTI THVANI HISTORIARVM LIBROS NOTATIONES

Lectoribus & vtiles, & necessariæ.

AVCTORE

JOANNE BAPTISTA GALLO, I. C.

S. Bernardus serm. 65. in Cantica.

Longè plus nocet falsus Catholicus, quàm si verus appareret hæreticus.

Cum gratia & priuilegio Cæsar. Maiestat.

INGOLSTADII,

Typis Ederianis, per Elisabetham Angermayrinam.

ANNO REDEMPTORIS M.DC.XIV.

S. Bernardus Serm. 66. in Cantica.

HI sunt, qui boni videri, non esse: mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, & videri boni volunt, ne soli sint mali. Mali videri timent, ne parum sint mali. Etenim minus semper malitia palam nocuit; nec vnquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est. Ita ergo in malum bonorum boni apparere student, mali nolunt, vt plus liceat malignari.

INDEX CAPITUM.

PRÆFATIVNCVLA IN NOTATIONES.

IAcobus Augustus Thuanus, Clarißimi viri Christophori Thuani Principis Senatus Parisiensis filius, historiam sui temporis libris viginti suprà cẽtum est complexus. Sperauit credo hac tot librorum editione sarcire iacturam aliquot decadum Liuij, aut fortè (nam hoc ingenium est hæreticorum, τῷ πλήθει τῶν βιϐλίων φιλοτιμουμένων *ait S. Nazianzenus)* Epist. ad Cledon. *tot lucubrationibus gloriam apud posteros immortalem consequi. Verùm quod his libris plurima insperserit, quibus se hæreticorum partiarium esse non obscurè significauit, eos Apostolica sedes tanquam pestilentißimos Censura notauit, anno 1610. Et quoniam pleriq; sunt qui nisi quod agunt, nil rectè factum putant, referam paucis in aliquot capita quæ mihi libros illos decurrenti visa sunt inconsideratius & irreligiosius esse dicta.*

CAPVT

CAPVT I.

Vaniſſima Thuani Hiſtoria.

SOlent quæ corpore quæſtum faciunt calumniari matronas honeſtiſſimas, &, quæ vis eſt conſcientiæ, priuſquam accuſentur ſe purgare. Πόρνη σώφρονα, vt ait ſanctus Nyſſenus. Eſt in Thuani hiſtoria quiddam huic ingenio affine. Nam in ipſo ſtatim limine, *Præfat. hiſt.* ait, ſuam ſe conſcientiam ſæpius interrogaſſe, an dum hiſtoriam texeret, vllius rei ſenſu acriore tãgeretur, quę ſe in opere inſtituto tranſuerſum ageret. Quid illa reſponderit nõ explicat: niſi fortè ſatis ab ea reſponſum putat, cum paulò poſt ſanctè profitetur homo religioſus, cui iurato vix quiſquã Catholicus credat; Priuatas ſi quæ ſubeſſent iniurias ſic fuiſſe oblitum, vt omnem illarum ſenſum publicè priuatimq; depoſuerit. Habemus igitur hiſtoricum è vetere Stoicorum ſchola, Ariſtidi nõ imparem, vel etiam quouis Origeniſta & Pelagiano ἀπαθέστερον, qui iraſci cuiquam ſcelus nefarium ducat, & iniuriarum acceptarum ne meminiſſe quidem, ſi velit, poſſit. Sed ad populum haſce phaleras, Thuane; Loquere, aut etiam, ſcribe, vt te videam. Nam quæ omnino in opere tanto pagella eſt, quæ impotentis animi tui affectus indomitos nõ aperiat? Hîc in Pontifices Romanos Bacchæ in morem furis, illic in Reges Chriſtianiſſimos, quòd in hæreticos animaduerterint, maledictorum plauſtra conuehis; in paginæ cuiuſuis opiſtographo, mirum ni tu in Guiſianam domum ſtilum ſtringis: vix foliolum vnum eſt, quod inſanum tuum in hæreticos amorem non arguat: Melãchthonem, Oſiandrum, Scaligerum, Bucerum, delicias tuas, diſſuauiaris: ſi tantillum in legendo progreſſus fuero, Catholici cuiuſpiam hominis te Cenſorem offendam, eius dictũ factumue, licet ad memoriã inſigne, eleuas, & hoc ſcriptionis genus ad calcem à carceribus perducis, tui vbiq; quàm ſimillimus, & tuam nobis conſcientiam dilaudas vir antiquæ probitatis? & ſuaſurum te putas, ſtylum tuum ab omni odio amoreq; liberum, à via veritatis regia nunquam latum vnguem deflexiſſe?

Certè cum libris quindecim prioribus multa retulisses, quæ, vt spero, multi synceriùs quàm tu ad posteros literis transmittent, deuenturus ad ea quæ his quadraginta annis in Gallia gesta sunt, ne quis de fide historiæ tuæ dubitaret, hæc pfatus es: *Ex actis ipsis, & ijs quæ iam tum quidem recentibus adhuc odijs scripta sunt, verùm ad optimorum postea virorum fidem à nobis expensa sunt, citra liuorem & amorem sequentia perscribemus: petita interim venia, si quorundam ambitio, auaritia, perfidia, fraudes & perniciosa aduersus rempubl. consilia interdum perstringentur. Nam veritatem professis ea lege, sed temperatè ac citra maledicentiam, historia scribenda est. Me verò, vt spero, longinquitas temporis ab odij suspicione facile liberabit.* Luc. 15.

Hæc legenti venit in mentem Horatianum illud dicere: *Quid tanto feret hic dignum promissor hiatu?* Sanè tam liberalis & magnifica Thuani pollicitatio perpulit me, vt quæ decimo sexto libro & consequentibus habet, legerem attentius. In ijs verò, prô Deus immortalis, vt alia omnia, quàm quæ in se recepit, prestat. Nam in illo loco apertè se factionis hæreticæ partiarium aperit: Caluinistarum aliorumq; sectariorum pleno ore doctrinam, pietatem, innocentiam, deniq; constantiam in subeunda morte deprædicat: omnia per vim aut fraudem à Christianissimis Regibus Henrico II. Francisco II. Carolo IX. gesta contendit: Guisios turbarum omnium causam fuisse decernit: Si qui in Senatu sententiam contra Nouatores dixerunt, ij secordes, obnoxij Guisijs, turbulenti homines, aut voluptuarij. Quo de genere plura suis locis adnotabo: Deniq; Burgus, Foxius, Valla, Ferrerius, Placius, & alij ob hæresim notati infamia; viri nobiles, acri ingenio, summa probitate, ad imitandum posteris à Thuano proponuntur, homine ab omni affectu prorsus libero.

Nunc inquiramus, si placet, quæ nam habuerit adiumenta historiæ suæ contexendæ: Fatetur ingenuè se, vt loquitur, *Ex actis ipsis, & ijs, quæ iam tum quidem recentibus adhuc odijs scripta sunt, verùm ad optimorum virorum fidem à se expensa.* Rem planius explicabo, quam à grauissimis autoribus acceptam, nefas est obrui silentio. Repertam olim ferunt sacrarum literarum translationem ex Hebræo in Græcum sermonem, in quadã Syriæ vrbe, idq;, vt aiunt, *ἐν πίθοις, in Dolijs*: Et Thuanum quoque rumor increbruit, adeuntem paternam hæreditatem, inuenisse in parentis sui libraria supellectile Dolium refertum libellis, quos tempora

illorum

illorum licentia in dies plurimos prælo dabat: ex ijs denique stylo eleganti suæ historiæ telam perpetuam texuisse. En illa Sibyllæ folia Thuano diuina sorte missa; hoc ipsum est, quod obscurius verbis illis innuit, ex actis ipsis, & ijs, quæ iam tum quidem, recentibus adhuc odijs, scripta sunt, verùm ad optimorum virorum fidem expensa: Quæ sanè quisquis attentè leget, tuam magnopere prudentiam requiret, Thuane qui, ex ijs quæ recentibus adhuc odijs scripta sunt, putasti veritatem historicam peti potuisse. Nam in odij, maximeq; recentis, regno quis esse potest veritati locus?

Iulianus ille parabates negauit, teste S. Cyrillo Alexandrino. quidquam à Christo seruatore memoratu dignum gestum esse, licet quæ in sacris historiis de eo relata sunt, nõ ignoraret. Tanta vis est odij vbi mentem hominis occuparit, vt quæ maximè videt tangitque, nec videri tamen neque omnino tangi persuadeat. Nemo in caussa sua iudex æquus, adeo sibi quisque fauet, vt quod placet, id æquum esse iudicet: φιλαυτίας id in nos imperium, cui minimè qui paret, is proximè ad virtutis fastigium accedit. Et tu è duobus illis riuulis cœnosis stillam syncerae veritatis elici posse credis, Thuane? & tu ab odio maximè recenti, aut amore proprio, libellos cudi fidei indubitatæ putas? Probamus quotidie quàm vana sint quæ Mercurij illi Gallobelgici comminiscuntur. Tu quasi de tripode dicta venditabis, quæ transcripsisti ex illis leuissimis foliolis, quæ ante annos triginta aut quadraginta è Chalcographijs hæreticorum prodierunt, cum maximè studia partium feruerent? Nimis faciles & inconsiderati simus, si te audiamus: Tu nimium præfidentis animi, si sperasti te prudentibus viris hisce fabulis fucum facere posse.

At enim quod scires, Thuane, talium libellorum fidem plerumque vacillare, ne quid nisi consideratissimè scripsisse videreris, addis; te libellos illos, *Ad optimorum virorum fidem expendisse*: Audio sanè; sed tamen scire peruelim, qui tandem optimi illi viri, quorum fidem implorasti: Non, opinor, Catholici, quos ferè conuicijs proscindis; quibus etiam nunquam probabuntur tot calumniæ in probos omnes effusæ; neque adducentur, vt subscribant vanissimis laudibus, quas, plenis, quod aiunt, manibus in apostatas & hæreticos confers. Henricum certè Quartum, æterna memoria dignum Principem, nemo nescit & grauissimorum & plurimo-

plurimorum hominum querimonijs monitum ac interpellatum de huius historiæ vanitate, seuerè edixisse Thuano, eam vt recognosceret & innumeris mendis purgaret; quod ab eo tentatum esse dicunt posteriore editione: quanquã Lutherani & Caluinistæ priorem, vt pleniorem, & magis ad gustũ suum, hoc est, conuitijs in Catholicos omnes longè impudentioribus refertissimam, iterum prælo commiserunt.

Necdum optimos illos viros ad quorum fidem Thuanus historiam suam expendit reperi: nisi forte illi sunt, quos extremo quoq; libro laudare consueuit, Lutherani, inquam, & Caluinistæ scriptores, quos è remotissimis plerunq;, Borussiæ, Pomeraniæ, Hungariæ, & Hollandiæ latebris eruit, ne sequens ætas tam bene meritos de re Christiana homines vixisse ignoret. Hos Thuanus optimos censet, aliâs nunquã tam magnificè p̃dicaturus, horum stat iudicio, à quib' sine dubio sperat, quæ scripserit, omnia comprobatum iri. Quare quis est qui libellos istos famosissimos, recentibus adhuc odijs, scriptos, à circumforaneis librariolis clàm distractos, &, quod caput est, à Ministris hæreseos approbatos, non statim iudicet omni exceptione maiores esse? aut quis diuinam Thuani mentem, ingenium solers ac graue iudicium, non admiretur, præ se ferentis ingenuè, imo alta voce prædicantis, historiam suam ex his fontibus haustam esse? Homo omnium vanissime, & ab omni luce iudicij ac rationis derelicte quos te in laqueos imprudens induis? neq; vides, vt historiæ tuæ fidem dum concilias, detrahis? replica veterum Annales, euolue Paulum Æmylium, Philippum Cominæum, sexcentos alios, dispice ecquid è talibus libellis historiam suam, quod tu fecisse te fateris, emendicarint.

Sed permitte quæso Diogenes noster, dolium tuum tantisper excutiamus: Magnæ apud te autoritatis librum in eo Passauantiũ inprimis reperio, eò tibi gratiorem, quod & Bezam ciet autorem, & artificiose ridiculus est, & Lizetum Abbatem lancinat elegantissimè: ex eo quasi locupletissimo penu, non dubito, quin plurima dicteria in Pontifices deprompseris. Alium ecce librum ex bibliotheca illa tua doliari, Tigrim; nam ei crudelis & ferox hæresis titulum hunc præfixit. Eius meminisli quodam loco: *Euulgatus est ijsdem diebus*, ais, *libellus in Guisianos scriptus, cui ob id Tigridis titulus præfixus erat, quo eorum crudelitates summa acerbitate exagitabantur.* *Lib. 15.*

bantur. Nondum quidem ille liber in meas manus venit, sed eo doctore te plurimum profecisse auguror, adeo fœcundus es, & facundus quoties in Cardinalem Lotaringum, cæterosque Guisios quod tibi sæpe euenit, facis impetum. Nec verò dissimulare potuisti quàm grauiter tuleris quod de Martino Lometio, pauperculo, vt ais, librario, sumptum sit Lutetiæ supplicium, ob disseminatum illum libellum: Neque Leontium Senatorem expertem censuræ tuæ quiescere siuisti, quod huic iudicio præfuisset, atque, *in Guisianorum gratiam*, quemadmodum inquis, *seueriùs quendam alium Rotomagensem institorem plecti iussisset.* Interroga sis nunc conscientiam illam tuam, quære de ea quàm ab odio libera fuerit hæc dum scriberes. Adeóne verò in antiquo iure rudis es & peregrinus, vt ignores quæ in libellorum famosorum disseminatores decreta sint? aut tantum iuris in te habet odium, quo in Catholicos abriperis, vt tanquam infames beneficio legis frui debere neges? & quasi laterum tuorum oppositu legum seueritatem à librariolis hæreticis arcere velis? & impune quidquid libuerit in nos spargant?

Eodem refero, quæ tu alio loco memoras, cum à Ponsenacio, & Albaspinæo in hæreticos nonnullos lege actũ esset. *A Protestantibus*, inquis, *cuncta in rem suam interpretantibus notatum quod Albaspinæus qui oris ministris obstruendi (quò populum alloquendi facultas eis adimeretur) autor fuerat, paulò post in sano fœminæ cuiusdam amore correptus, ex eoq; furore contracto, accedente ad hæc pediculari morbo, inter grauissimos cruciatus expirauerit, fræno ab amicis in os iniecto, vt cibum reciperet, quem ob doloris impatientiam, cum fame mori decreuisset, homo rabiè efferatus respuebat. Ponsenatius verò grandi ære obrutus, cùm patrimonium omne suum & vxoris dotem belluasset, ex male actæ vitæ conscientia in furorem consimiliter inciderit, ex quo de salute æterna desperans à suis vinctus, inter eiulatus ac diros laniatus in summa inopia vitam finierit.*

His affine prorsus est & eodem artificio contextum, quod de Henrico Secundo memoras; *Ferunt, cum accepto vulnere, efferretur, ad Bastilliam aduersam respexisse, & Senatorum, qui in ea nuper capti detinebatur* (Annam Burgum & alios hæresi notatos intelligis) *recordatum sæpius dixisse, vereri se ne iniuriam innocentibus fecisset.* Exclamare nunc libet vetus illud Ω Δίκη: & penè venit in mentem dicere, quod olim Ægyptij aquis interclusi, Fugiamus Israë- Lib. 19.

Iſraëlem, quia Dominus pugnat pro eis: Cauete Principes Chriſtiani quidquam grauius in Lutheranos & Caluiniſtas ſtatuere, monet Thuanus. Cum Sophiſta Libanius Iulianum apoſtatam altero anno excitatæ in Chriſtianos perſecutionis ſubitò oppreſſum in Perſide accepiſſet exclamaſſe fertur, ait S. Hieronymus; Quomodo Chriſtiani Deum ſuum ἀνεξίκακον eſſe dicunt? nihil hoc furore præſentius. Idem hîc Thuanus; Cauete Iudices, ne quid acerbius in hoſce nouos antiquæ religionis cenſores ac reformatores decernatis: Malè Ponſenatio & Albaſpinæo vertit, cum in illos aſperiores fu ſſent, & ora Miniſtris iuſſiſſent obſtrui, ne ad populum morti proximi verba facerent, de ſua innocentia doctrinæque ſanctitate: proſpicite, ne quæ in eos deſæuiit præſentiſſima ira Dei, vobis non parcat.

Μορμολυκεῖα tua ſunt iſthæc, Thuane, quibus non obſcurè hæreſi patrocinaris: non te puduit nugas iſtas ex libellulis tuis tranſcribere. Et ſperare tam hebetes fore poſteros, vt crederent ſummam illam primamque Veritatem pro Miniſtris hæreſeon contra doctrinam Catholicam teſtimonium dicturam? Alia omnia potius, quàm vt Deus hæreticis atteſtetur, eoſue defendat, quos per Eccleſiam proſcripſit. Nihil Albaſpinæus fecit in vita ſapientius, quàm cum iuſſit impietatis præconibus os obſtrui, ne dum infelices animas exhalarent, pergerent Deum lingua contumelioſa laceſſere. Et Nicæni Concilij Patres refert Magnus Athanaſius, cum Arij liber legeretur palàm, aures obſtruxiſſe, veritos, ne quid peſtilentis illius doctrinæ per auditum in animos illaberetur: iuſſiſſeq; eampſe ob rem Conſtantinum Magnum librum illum flammis vltricibus donari, memorant rerum Eccleſiaſticarum ſcriptores: tu reprehendas eum, qui miniſtros peſtilentis doctrinæ vetuerit è rogo ferali ad populum Catholicum verba facere, cum venenata quæq; animalia, maximè, dum intereunt, virus ſuum euomant? Neq; nos terres, Thuane, aut Henrici Secundi ſiniſtro caſu, aut Ponſenatij θεηλάτῳ, quam dicis, ζυμφορᾷ, quaſi eis ab irato numine hęc illata ſint ob ſumpta de Caluiniſtis ſupplicia: quæ, vt minimè miror reperiri in illis tuis libellis, quos ardentibus adhuc odijs ſcriptos eſſe agnoſcis, ita miſeret me tui, qui haſce nugas in hiſtoriam tuam tranſtuleris. Nihil illi ad famam tota vita glorioſius peregerunt, quàm cum diuino zelo permoti ſtuduerunt, ne cancer ille hæreſeos latius in republicæ Chriſtianę

perni-

perniciem serperet. Si tu, quod ab eis hac in parte gestum est, aliter interpretaris, facis tuo more qui Catholicorum omnium præclara facinora, mauis ambitioni aut auaritiæ, quàm pietati ac boni communis studio accepta ferre.

Iam opinor vides, Thuane, qui ex illis turbulentis fontibus cœnosos riuulos in tuam historiam deriuaris, quàm inconsultè feceris. Atque vt imperiti rerum & viarum æstiuo tempore nocte concubia, fatuos, vt vocant, ignes dum sequuntur, incurrunt in præcipitia locaque palustria, quibus extricare se nequeunt, sic tu dum præluces illos libellos è tenebricosis hæreticorum prælis depromptos sequeris, Deus bone! in quam aperta mendacia impingis? quorũ sanè Chiliadas hîc texere possem, si vacaret, pauca tantum de multis perstringam.

De Henrico octauo, postquam Ecclesiæ Anglicanæ caput haberi voluit hæc habes: *In reliqua vita ita se gessit ille Rex, vt eum si æquiores & prudentiores Pontifices nactus fuisset, sponte se subiecturum ipsorum potestati fuisse appareret. Cum verò nullis se conditionibus cum Pontifice in gratiam redire posse animaduerteret, &c.* Mitto cætera pertæsus leuitatis tuæ & calumniarum, quas quoties Romam propius adis, pleno ore effutis in Pontificem furiosissimè. Verùm si ab illo Rege contra Pontificem stare tibi certum est, quin conditiones exprimis quas Romana scilicet illa asperitas admittere nunquam voluit? An tu putas licuisse summo Pontifici muliero sissimũ Principem, qui diuortia diuortijs cumularet, vt agnoscis ipse, vbi de repudiata Cliuia loqueris, in filiorum Ecclesiæ numero censere? Eum qui sacras virgines, & innumeros homines religiosæ continentiæ voto astrictos, ne solus turpiter viuere diceretur, solutos ad innuptas nuptias conuolare iussit? Eum, inquam, qui sacrum patrimonium omne vsurparat, paucisq; annis in profundissimum suarum voluptatum gurgitem profuderat, qui denique, vt alia prætermittam innumera, B. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi sacrum mausolæum expilarat, & quod longè omnium sceleratissimum iudico, sacros cineres suffoderat, & lite quasi viuo intentata, mulctam fœdissimam irrogarat? Is tibi videtur, Thuane, *In reliqua vita* se gessisse, quemadmodum Christianum Principem decuit? Non dubito quin hæc omnia quæ de illo scripsisti, ad optimorum virorum, Buceri, Fagij, Cranmeri, fidem religiosè expenderis, vt de ijs dubitare nefas sit. Lib. 1.

Lib. 6. Eandem vanitatem olet, quod de Hermanno quondam Archiepiscopo Coloniensi refers, *Virum fuisse miti ingenio, qui suorum periculo potius, quàm rei familiaris ac dignitatis dispendio territus, vltro Archiepiscopatu cesserit.* Næ felices Lutherani, qui te laudum suarũ præconem nacti sunt. At te meminisse oportuit eorum, quæ aliquot ante libris dixeras, *& à Pontifice Romano proscriptum cœtuq; fidelium depulsum esse*, (licet causam malignè suppresseris) *& missos à Cæsare, qui sententiam pontificiam exequerentur.* Scio quid addas, viros Principes perfecisse, vt Hermanus lubens volens iure suo cederet. Habes quod optâsti Thuane, si & Pontificis censuram, & Cæsaris autoritatem nullius in hoc negocio ponderis fuisse euiceris. De hoc mendaciorum genere pleraq; sunt alia tuis passim historijs inspersa: vt Nantolium Lenoncurijs ereptum malis artibus Ioannis Cardinalis Lotaringi: Marchesias per vim Longauallio possessore deiecto, cessisse Carolo Cardinali Ioannis nepoti, quæ certissimis tabulis constat iusto pretio coëmpta. Sed vt telum quodcunque ira facit, ita maleuolo ingenio omnia in conuitium famulantur.

Lib. 5.

Lib. 51. At fine me obsecro, Thuane, vnum hoc tot vanissimæ tuæ historiæ præconijs addere, quod de parente tuo viro optimo habes. Ais enim, Carolum nonum post Sanbartholomæam cædem in Senatum venisse, ibique Christophorum Thuanum Senatus Principem; *Tempori accommodata oratione Regis prudentiam laudasse, eundem verò in arcano increpuisse; Certè tota vita Sanbartholomaam diem detestatum esse, & quosdam Papinij versus eò retulisse, excidat illa dies æuo &c. vt potius aptato ad tempus & locum responso, quàm ex animo factum regis laudasse videatur.* Hæc tu. Quid autem Geneuæ putas dixisse Ministros Thuane, cum hæc legerent? Constantiorem adhuc in sua causa tuenda inuentum esse neminem, cuius gratia ne parenti quidem parcat suo, quem malit à cunctis haberi præuaricatorem, Cothurnum, Chamæleontem, *καιροῦ πολυτρόπου θεράποντα* vt loquitur S. Nazianzenus, quam vt ab eo verè & ex animo damnata Caluinistarum factio esse videatur: Et miramur adhuc si tanti faciant historiam tuam Sectarij?

CAPVT

CAPVT II.

Thuanus ſcriptorum hæretico-rum admirator.

MVtuum muli ſcabunt, ait vetus prouerbium, Hiſtoriam Thuani quaſi Alcoranum Turcæ, aut Heſceſaitæ ſuum illum quem οὐρανοπετῆ nominabant, ſectarij omnes deoſculantur: ille viciſſim vt eis gratiam rependat quidquid ſcribunt obuiis manibus excipit; vt nemo vnquam iuſtius audierit, Hæreticorum mirio, quemadmodum de Thuani maioribus loquebatur Tertullianus. Nihil homini affingo, ſtylum ipſe ſuum & manum agnoſcet.

Philippus Melanchthon Lutheri anteſignanus, atheiſmorũ ingenioſus artifex, qui vt aliquando lateret ſe Hippophilum Melangæum dixit; Habuit ille tamen laudum ſuarũ præconem Thuanum, qui vbi copioſè vitam eius, ſtudium pacis, obitum, filias hæreticis elocatas non ſine laude commemorauit, lectorem ablegat ad legendam eius vitam à Ioachimo Camerario Lutherano conſcriptam, atque *à ſe*, vt ait, *iucundè perlectam*, ſpondetque fore, vt ea lectio non ſit inutilis iis qui paci Eccleſię conſultum volunt. Deus tales ab Eccleſia Irenarchas & adiaphoriſtas auertat. *Lib. 4.*

Ioachimi Camerarij hominis hæreſeos nota infamis libros Eccleſia iubet nos de manibus deponere, nomen eius in primam claſſem authorum improbatæ lectionis reiicit: At Varius Succronenſis Thuanus, nos ad eius legenda monimenta inuitat, vtri credent Catholici? *Lib. 4.*

Ioannes Schleidanus Caluiniſta mẽdaciorum loquaciſſimus, hiſtoriam ſcripſit Thuanicæ quàm ſimillimam: Eam olim Carolus Quintus Imperator mendis & mendaciis refertam eſſe confirmauit; Quin etiam cum Cominæi hiſtoriam donaret latinitate, ea plagiarius impudens ſubtraxit omnia quæ Catholicam pietatem ſapiebant. Et tamen Thuanus aut imprudens quod vix credo, aut adfauens improbitati hominis eum vocat, *diligentiſſimum rerũ Gallicarum obſeruatorem*, & negat à Catholica religione fuiſſe alienũ; quem alieniſſimum fuiſſe omnes ſciunt: niſi forte Catholicæ nomine Caluiniſticam intelligit Thuanus. *Lib. 11.*

Nicolai Gerbellij, & Cuſpiniani laudibus librum primum *Lib. 1.*

historiarum, tanquam insigni coronide, cõcludit idem Thuanus; Et geminum par hæreticorum, à doctrina singulari & morũ suauitate prædicat. hoc est forte quod aiunt, & *graecus graeco*.

Ioannes Knoxius Scotus ex sacerdote Catholico nefarius apostata, & patriæ suæ fax teterrima, cuius extant scripta pestilentissima, quibus omnem principibus, si forte Caluini placitis contraueniant, auctoritatem abrogat. Nactus ille tamen est laudatorem Thuanum. Fecerat iam hoc olim Caluinus, & Knoxo primas detulerat, reformatæ, si superis placet, in Scotia, religionis: Eiusdem apostatæ improbissimum facinus alio loco refert idẽ Thuanus, neque vocula vna perstringit.

Lib.3.

Lib.15.

Parentat etiam Iusto Ionæ, vultq; posteros omnes scire, Eum fuisse, Thuani verba sunt, *Martini Lutheri fidum ac constantem Ministrum* (de Sila quopiam S.Pauli comite ab Ecclesiis ordinato loqui diceres) *vt in cuius sinu ille veluti animam expirauerit.* Nam profectò magnam ætas sequens memoriæ rerum præteritarum iacturam fecisset, hoc si nesciuisset, quo tandem in sterquilinio putidissimum illud inferni monstrum viuere desiisset.

Lib.11.

Sed amabò, Lector, sanum sapiebat Thuanus, cum Olympiam Fulniam Moratam Ferrariensem his ornabat elogiis? *Faeminam morũ sanctimonia, ingenio, & eruditione cum quauis prisci æui comparandam: Eam Protestantium hausisse doctrinam, ideoque coactam natale solum vertere, Heidelbergæ larem fixisse, vbi Medico nupserit.* Nam haut dubiè supra cæteros mortales sapit nouus iste Caluinianarũ Amazonum laudator, qui in eis tantam morum sanctimoniam tantumq; & ingenij & eruditionis deprehendit, vt longè post eas Catharinæ omnes, Eudoxiæ, & Probæ Falconiæ sint ponendæ. Quid enim aut argutius scriptis, aut grauius Placitis, aut sanctius vita iunioris illius Epicuri, Lutheri inquam? *E tenebris tantis tam clarum educere lumen qui solus potuit*: Nam & Thuanum suum habuit prior Epicurus. Itaque vt æquissimus ille rerum sacrarum æstimator præclarè ab se dictum putat, Fuluia Morata prorsus morum sanctimonia insigni, & magno iudicio ac eruditione esse debuit, quæ relicta religione Maiorum sese in Lutheri sinum cum Bora contulerit.

Lib.21.

Lucretius.

Nec minus laudum prodigus est Thuanus in Beatum Renanum Selestadiensem, improbum interpolatorem veterum Patrũ, quos falsissimis adnotationibus fœdè corrupit. *Fuit tamen*, inquit ille,

Lib.5.

ille, *in litteris humanioribus, antiquitate, & pia doctrina Exercitatißimus, ingenio miti, vt qui in cogitatione de constituenda omnium consensu in religione concordia consenuerit, Summus Desiderij Erasmi obseruator.* Hoc vnicum à Thuano verè dictum est. Nam qui Renani scripta legerit, quem cum Erasmo potius componat inueniet neminem. Adeo vterque veteris pietatis osor est, amator nouitatis: vtrique sacra omnia & religiosa displicent: incertum vter improbius veterum Patrum authoritatem eleuet; Et huiuscemodi homines à pia doctrina commendaret si pius esset Thuanus; nisi de illis esset qui *Bonum malum dicunt?*

Iam quæ de Petro Martyre Caluinista narret audiamus. *Cum ille sacras literas*, inquit, *in suo Patauiensi cœnobio summa cum laude profiteretur, & in mores fratrum suorum seuerius animaduerteret, magna inuidia laborare cœpit, eamque vt amoliretur Neapolim contendit, tũ Lucam profectus est: Vbi cum ei consistere non licueret, Tigurũ Heluetiorum concesit; vnde assumpto comite Bernardo Ochino Senensi magnæ eloquentiæ concionatore, Basileam abiit, deinde Argentinam Martino Bucero adnitente, denique Oxonium in Angliam euocatus est, vbi viuendi finem fecit.* Hæc Thuanus longe p[illegible]ribus & maximo verborum apparatu; vt pene videatur voluisse imitari D. Lucam relegentem in Actis peregrinationes laboriosissimas S. Pauli, quo nouum hũc Apostolum aut potius teterrimum Apostatam in Diuos referret. Dissimulamus Thuane cur Petrus ille pseudomartyr religiosa vota quæ sanctè in S. Augustini ordine nuncuparat eierarit? cur monasticum habitum cum profano commutarit? *Quod in fratrum suorum mores seuerius animaduerteret*, inquis. Persuadebis id scilicet sano cuiquam. Nam quis credat eum sanctioris vitæ desiderio, & odio laxioris disciplinæ, deseruisse claustra, vota violasse, in sinum & amplexus hæreseos spurcissimæ aduolasse? æstuantem innocẽtioris vitæ cupiditate, asciuisse sibi comites nefarios apostatas Ochinum & Bucerum? denique pertæsum religiosi cœtus abiisse in Angliam sub Henrico Octauo, ibique facem prætulisse iis qui sacra omnia violarunt quis nescit? cur ergo Thuane honestatis velum improbissimæ prætexis apostasiæ? Quasi nesciamus quod à S. Basilio verissimè dictum est, Hæreticos esse ζηπεδόνας ἐκκλησιῶν, & quod olim Tertullianus scriptum reliquit, eos facilius *apostaticum* quam *Apostolicum censum* proferre posse.

Et hoc debueras bona fide Thuane mandare literis (si tamen veri-

veritate præluce Historiam texere institueras) cur Petrus ille tuus Martyr muliercularum post se greges trahens, neque Neapoli neque Lucæ consistere potuerit: Philumenem mihi crede non solus Apelles habuit: Ingenium hoc hæreticorum est omnium, γνωστικῶν præferre speciem quādam, reapse verò sese in spurcissimarum voluptatum cæno voluere. Hoc tuus ille Petrus Martyr Thuane, hoc Bernardinus Ochinus, cæterique quos tu laudas egregiè præstiterunt.

Lib. 35. Etiamne portentum illud hominis, Caluinum inquam, laudet Thuanus? *Ioannes Caluinus*, inquit, *acri vir ac vehementi ingenio, & admirabili facundia præditus.* Annon habuit aliud quod de illo scriberet? nesciuit credo vt repente ex caussidico Theologus, patrum veterū censor, Ecclesiæ vniuersæ reformator haberi voluit: aut ignorasse potuit impuras hominis libidines, præfractam audaciam, animum acceptæ iniuriæ perquam memorem? satis illud fuit Thuano commendare hominem ab Ingenio & facundia quò efficacius omnes ad euoluenda eius pestifera scripta perpelleret. Non ita meridie lucet Thuane, vt tu quò propendeas, quos doctores audias, quos lubenter tuoluas libros, omnibus aperis. Qui porrò Bauium non odit, & habuit quod in Caluino prædicaret, repperit etiam in Theodoro Beza plurima quæ laudaret, nihil o-

Lib. 52. mnino quod reprahendi posset. Eius ingeniosissimam poësin sæpe admiratur; Mirum ni quæ propudiosus homo seriò lusit in Cādidam & Audebertum canticis Salomonis accenseat. Similes habent labra lactucas. Mirum si nesciuit quæ Senatus in spurcissima illa iuuenilia statuerat: vtque facti, scilicet, pœnitens se in asylum impuritatis quò impunius quæ scripserat patrare pergeret, contulerit. Hæc Thuanus ignorauit omnia; Quæ de Beza viro laudatissimo sciuit, memoriæ commendauit; *Cum pleriq; è Catholicis vrbibus Geneuam fugerent suppliciorum in hæreticos decretorum metu, ille corrogatis vndique eleemosynis eos alebat.* Abdiam diceres Prophetarum sub Iesabelis persecutione nutricium. Iam vereor Thuane ne te etiam derideant tui, tam insulsè corrogātem vanissimas laudes, quibus manifestissima tuorum Doctorum flagitia nequiquam vis obtigere.

Lib. 76. Et Buchananū laudat Thuanus, quem impudentissima μειώσεις excusat. *Interdum*, inquit, *libertate genti innata contra regium fastigium acerbior.* Vnde autem de repente mollis iste censor qui scri-

pta

pta Buchanani pene dicam sanguine humano exarata, quibus ille populum ad arma contra principes sumenda conuocat, tam leui brachio cædit? nec verò acerbior fuit in reprehendenda Hottomāni Francogallia, aut Anthenotico Boëtiani senatoris Burdegalensis, quibus illi Monarchiæ Gallicanæ hostes capitalissimi plebeculam quasi classico ad defectionem excitant. Si quid tale à Catholico quopiam, Deus Immortalis, quibus diris caput eius Thuanus deuoueret? Lib. 73.

Quid verò de Petro Ramo? *Opibus suis*, inquit Thuanus, *iuuit rem literariam*. Iuuit autem? qui potuit hoc verè dici de eo, qui noua docendi ratione omnium in se concitauit odia? quem vir doctissimus Iacobus Carpentarius, quasi alterū Thessalum methodicum tam sæpe exagitauit. hoc forte Thuanus abs se dictum noluit; scholam Mattheseos Petri Rami liberalitate institutam prædicare voluit. Quod etsi nō inficior, tamen nō laudandus fuit homini, qui se Catholicū profiteretur Ramus hæreticus, cuius hoc vnum fuit studium vt hæresim suis opibus iuuaret, & pauperum scholasticorū, quos è Picardia sua euocabat, Lutetiæ seminarium instituerit, quorum animos non tam literis imbueret quàm inficeret hæresi?

Caroli Molinæi IC. scripta omnia cum alij summi Pontifices, tum nō ita pridem reiecit in classem librorum improbatæ lectionis Clemens Octauus Anno Domini M.DC.II. Thuano visum aliter, qui de eo hæc: *Carolus Molinæus vir bonus ac simplex, qui patriæ charitate suprà quam dici potest inflammabatur: Indignam meritis suis gratiam retulit; vt solum vertere cogeretur.* Nimis profectò laudum largus es Thuane, si Catholicus es, qui hominem pestilentissimū, Ecclesiastico ciuilique foro damnatum ita propugnas vt exortem omnis culpæ fuisse dicas. Miror hominem in foro versatum non prouocasse ad te à Pontificiis regiisq; sententiis in eum toties pronunciatis. Lib. 38.

Claudio Gaudimelo Lutetię ob hæresim cæso parentat etiam Thuanus: *Fuit*, inquit, *excellens nostra ætate Musicus, qui Psalmos Dauidicos vernaculis versibus à Clemente Marotto, & Theodoro Beza expressos ad varios & iucundissimos modulorū numeros aptauit; Quibus & hodie publicè & priuatim in Concionibus Protestantium decātantur.* Nam æquum censuit Thuanus, vt Scriptura Idithun, Asaph, Core Filios, principes sacrorum cantiuum à Dauid institutos com- Lib. 54.

 memo-

memorat, sic rescire posteros quæ graues Theologi & Prophetæ nouæ Religionis Marottus & Beza versibus mollissimis composuerant, à Cl. Gaudimelo numeris suauissimis maximeque sonoris esse aptatos. Itaque quantum operæ ponunt pij oẽs vt Catholicos auocent ab eiusmodi cantiuncularum auditione, quod vt verè à Platone dictum est, *plures aure quam ore venenum hauriant*, tantum adhibuit studij Thuanus, vt oẽs ad illos Sirenum cãtus alliceret. Audiamus nũc graue Thuani iudicium de Tigurina Bibliorum editione. Vbi enim hæreticos qui in ea operam vt ipse censet vtilissimam posuerunt recensuit, hæc habet: *Quod eò commemorandũ duxi vt versionis tanti apud nos & Hispanos ipsos factæ origo cognosceretur, & insigne documentum extaret quid vtilitatis ex aduersariorum libris & industria si semotis odiis charitatem & æquitatem induamus, ad Dei gloriam capi possit.* Nec enim placent Thuano censuræ librorum improbatæ lectionis, vult nos comportatas ab hæreticis merces liberè quasuis excipere, pharmaca ab ignaris tractari, Tros Rutulusue fuat, nullo discrimine apud illum est. At Catholicorum alius est sensus, mens prorsus alia; Timent Danaos, & vera ferentes: gnari sæpenumerò sub hebraicæ vel græcæ voculæ elegantiori expositione quasi illecebra, latere pestilentis doctrinæ hamum. Legat ille non gemmas sed venena de stercore hæretico, malo succo turgeat serpens mala gramina pastus, nos Ecclesiæ communi nostrum omnium Matri morem geremus, & iis libris abstinebimus quos illa suo grauissimo calculo improbauit.

Lib. 35.

At Scaligerum quod Thuanus laudat non ægrè fero: fuit enim in illo homine non vulgaris literarum humaniorũ cognitio: Verùm cum eum diuini ingenij hominem, & rarã morũ probitate vocat, quis veri amans ferat? quota nimirum est cuiquam Iosephi Scaligeri arrogantia? qui præ se neminem quidquam sciuisse censet, de quo Aristophaneum illud iure dici potest Ανόλασον ἔχε γλῶτταν, αἰσχίστην νόσον. Nicolaus Serrarius vir solide doctus fastuosum illud apostema non semel stylo pupugit.

Lib. 1.

Venio ad Isaacum Casaubonum quem sanè potest suo iure Thuanus à bonarum artium scientia commendare: at quis ferat eum dicentem, Casaubonũ à Christianissimo Rege Geneua euocatum Academiæ Parisiensi restaurandæ? Apage mihi restauratorem hunc, quem Academia nunquã siuit apud se docere, ne cum bonis litteris hæreseos virus vt fit, in iuuenum animos sensim de-

mit-

mitteret, experta olim quantum detrimenti iuuentus Catholica cepisset in Rami scholis. Nimis sim ꝓlixus si quæ de Iacobi Sturmij, Conradi Pelicani, & aliorũ Protestantium Scriptorum probitate Thuanus habet: quæ iure putet aliquis non alio consilio historiam sui temporis conscribendam suscepisse, q̃ vt liberè Catalogum seu potius Bibliothecam hæreticorũ authorum contexeret, addito cuiq; perhonorifico elogio. Nisi fortè fallimur cũ hæreticos esse dicimus, quos ille pro Orthodoxis habet. Nam apud eum & hæc notare me cõmemini, *A pio quodam Leontio dictũ olim, Hac niue soluta multũ cogetur luti*: verba sunt Leontij Pseudoepiscopi Antiocheni, Arianę hæresi perquã addicti vt est apud Sozomenum: quare μνημονικὸν ἁμάρτημα putarem esse Thuani, nisi eum vtiq; animaduerterem Protestantibus Pietatis, morum sanctimoniæ, virtutum deniq; omnium palmam decernere. Itaq; antiquatæ sunt apud eum Leges veteres quæ hæreticorũ libros damnant, flammisq; addicunt: sanciuntq; eum capite luere qui apud se habuerit, illa vt S. Nazianzenus loquitur, aspidũ oua, non sanè inania & subuẽtanea, sed è quibus basiliscus semper aliquis erumpit.

Lib. 18. *Lib. 3. cap. 19.* *L. Vlt. de haret, in C.* *Orat. 2. de Pace.*

CAPVT III.

Thuanicæ quædam loquendi formulæ.

SI modo q̃ à philosopho dictũ est, verba quibus vtimur, σημεῖα εἶναι τῶν ἐν ψυχῇ ἐννοιῶν, quasi gnomon esse debẽt ad explorãda sensa animi tui Thuane, intelligemus faciſe q̃ non procul absis ab erroneis opinionibus Caluinistarum, quorũ idioma tam libenter vsurpes. Sua cuiq; genti dialectus est; Itaq; & Ionismos in Herodoto, & in Theocrito Dorismos tã frequentes depræhendimus: Nec aberrauit muliercula illa quæ sanctũ Petrũ ex Idiotismo Galilæum esse dixit. facit enim assuetudo, vt eorũ quibuscum versamur diutius, & loquendi & pronunciandi morem hauriamus. Thuanus is est qui sic à puero libris hæreticorum assueuit vt quos penitus imbibit, stylo referat. Paucos de multis huius generis idiotismos referam. Religiosi scilicet Caluinistæ veriti ne Christi laudibus detrahant, Apostolorũ neminem aut Martyrũ aliorũue quos Ecclesia piè colit, sancti nomine cohonestãt. Id solenne etiam Thuano nostro est; Petrũ, Dionysium, Quintinũ, nominat, licet materna lingua & vet' Ecclesiæ mos eũ

De Interpret.

doceat honorificentius esse compellandos: siue sanctorũ appellatione abstinuerit vt Geneuensibus quibus scribebat potissimum, gratior esset: siue vt veteres Iconomachos expressius imitaretur. Theophilus quidẽ certè Imperator, & sui sæculi Nero vetans edicto sanctos dici Petrũ Paulumue, aiebat id prænomẽ Christo vni deberi. Sed nos illo metu iã olim liberauit Tertullianus, admonẽs Christũ ipsum affectasse charissimo discipulorũ de figuris suis peculiariter nomen cõmunicare: Itaq; qui sanctũ Petrũ, Petram, Pastorem, Ecclesiæ fundamentũ dixit, non ægre feret sanctũ etiam nominari: Et B.Paul' sanctos vocabat primos Christianos: Quin Syri etiamnũ non ἁπλῶς Petrũ Paulũue vt hæretici, sed Mar Phetras, Mar Phaulos, Dominus Petrus & Dñs Paulus, de more veteri indigetant: neq; nescimus priscam Græcorũ loquendi rationem cũ de sanctis viris loquebantur ὁ ἐν ἁγίοις, q̃ vix credo ignotam fuisse Thuano. Quid ergo causæ est cur semitam hæreticorũ malit insistere? cur Iconomachorũ, Leonis Isaurici & Constantini Copronymi ab Ecclesia iã olim proscriptorũ placitis hæret, quos Glycas refert vetuisse Beatis Martyribus sanctorũ nomen addi? ꝙ etiam Iconoclastarũ pseudosynodo decretũ fuisse reperio Anno Domini DCC.LIV. Nisi fortè, vt *aspis à vipera*, quemadmodũ loquitur Tertullianus, ita Iconomachi à veteribus Gnosticis hoc virus hauserunt, ꝙ Irenæus refert. Profectò enim ferendum non est aiebat S. Chrysostomus, cũ sine præfatione honoris Dominũ seruus non appellet, homulos istos è limo Geneuensi nuper effictos gigantum instar in cœlum pugnare, & beatos qui cum Christo æuum agunt, meritissimis titulis velle spoliare.

4 in Marc. cap. 13. — *Annal, 4. p.* — *Lib. 3. cap. 30.* — *Homil. 7. ad popul.*

Olet etiam hæreseos scholam illud familiare loquendi genus Thuano, cum hæreticorum Ministros Pastores Ecclesiarũ vocat. *Chandæus, Ecclesiæ Parisiensis*, inquit, *Pastor*. Falleris Thuane grauiter, & fallis impudenter, si tu eos esse Pastores putas ac non potius fures, quibus nec est commissa gregis cura ab summo Pastore & Episcopo animarum, vt loquitur Apostolus, nec per portam patet aditus in ouile, sed ascendunt aliunde, vt Princeps Pastorum ait. Itaque tantum abest vt illi gregem pascant & tueantur, quos diuina scriptura testatur nihil aliud moliri, quàm vt Christi oues ab eo auocent, cui suprema pascendi gregis cura in terris est demandata. Et tu mihi hos Thuane pro Pastoribus Ecclesiarũ venditas? Lupos debueras dicere, si verum dicere voluisses.

Lib. 17.

Et prophanum nescio quid ac hæreticum in illa tua vulgari loquendi formula inest, cũ Ecclesias Deo positas, & alicuius sancti viri nomine insignitas, tu elegantioris styli studio Fana Pauli, Ægydij, Quintini nominas. At meminisse tamẽ debueras S. Augustinum, bonum opinor loquendi magistrum, monuisse, Falsorum Deorum seu Idolorum fana rectè dici: cur ergo profano hoc nomine sacra illa loca dehonestas; cum plerisq; è veneranda antiquitate petitis abundares? Nec abludit ab hæreticorum seu phrasi seu ingenio, quod statuas & simulachra plerunq; nominas, quas Christiana omnis antiquitas, synodiq; sacras dixere Imagines. Iniicis suspicionem Thuane, ne sensa eorum animo penitus hauseris quorum voces ac loquendi morem tam lubenter vsurpas.

Quid? quòd Catholicos sæpenumero Pontificios appellas? quod vnde tandem nisi ex hæreticorum habes officina? qui se nobis magnam facere iniuriam putant, si Pontificios, hoc est Romano Pontifici obnoxios vocent. Nolo hic Thuane veterum annales replicare, quib⁹ perfacile confirmarem, eos demum olim pro Catholicis habitos qui Romano Pontifici litterarum formatarum commercio coniungerentur. Nescio an Augustanus an Geneuensis dici malis, nos certè Romani sumus, hoc est, antiquæ fidei depositum à beatis Apostolis Petro & Paulo Ecclesiæ Romanæ commissum custodimus. Offendit quoq; non leuiter Catholicas aures petitum è Geneuensi schola Cœnæ nomẽ pro Augustissimo Sacramento, quo tu tam sæpe vteris Thuane, vt videaris à prophanis hæreticorum mysterijs non esse alienus.

Iam verò quod de hæreseos seu architectis seu fautoribus agens, iactas eos plerumque Theologicis studijs apprimè imbutos fuisse, pluresq; annos Theologiam Basileæ, Tiguri, Geneuæ, docuisse, quis Catholicorum ferat? *Faciunt & fauos vespæ*, ait Tertullianus, *habent & Ecclesias Marcionitæ*: Dicam pari iure, docent & Theologiam Ministri hæreseon, quia Thuano placet. Erras Grammatice, neq; Theologia quid sit intelligis: Qui enim fidem & scripturam sacram euertunt inuertuntq; (quibus tamẽ fundamentis nititur sacra illa de Deo scientia) qui possunt Theologi nominari? Eorum Theologiam si saperes Thuane, Matæologiam diceres, quæ de Deo nec bene sentit, nec rectè loquitur.

Huic affine est quod sæpe inculcas, ob Religionem supplicio affectos, quos constat ob hæresim damnatos esse. Erras enim si

peruersam de Deo opinionem, dici Religionem putas posse: Deus vnus, vna fides, vnica Religio; ea non alia quàm Catholica Apostolica & Romana, extra quam (verba sunt S. Hieronymi non mea) quisquis agnum comederit profanus est; si quem extra hanc Arcam diluuium depræhenderit, ait idem, peribit; Cur tu sectarios ab Ecclesia, solaque & vera religione dissectos, asseris ob Religionem multatos esse? nisi fortè hoc intelligi voluisti, quod apertius eloqui non es ausus, ob Religionem spretam atq; violatam esse punitos. Sed alia est tibi mens Thuane sexcentis alijs locis expressa; Tu religionum omnium capax, fortè cū Themistio censes, Deo cordi esse immensam illam vanissimarum religionū varietatem; neq; à Turcarum opinione magnoperè dissides, qui in sua religione quemq; seruari dicunt posse: Catholicorum alia mens est, & sententia, qui quid tu sentias non morantur.

Orat consolat.

Neq; dissimulari potest aut latinè parum aut parum verè abs te dictū centies de Protestantibus ob hæresim supplicio affectis: *Eos summa constantia mortem oppetijsse*; Peruicaciam & contumaciā debueras dicere non constantiam in ijs fuisse, qui obfirmato animo in hæresi ad mortem vsque perstitere: aut iam nihil est quod vetet nos virtutum nominibus teterrima quæq; vitia cohonestare, si peruicacem hæreticum, constantem dicere liceat.

CAPVT IV.

Collecta à Thuano Apophthegmata.

FVit ea veterum in conscribenda historia prima cura vt quæcunq; grauiter à sapientibus viris dicta fuerant colligerent, vt eo posteritati ad virtutem prælucerent. Aliam prorsus rationem Thuanus iniisse videtur. Collegit enim fere quæcunq; aut ridiculè aut etiam impiè vel dicta à Principibus viris, seu de ijs ficta à maleuolis: Quo verò id consilio fecerit, cogitationum nostrarum arbiter ille Deus nouit. Itaq; non abs re virum quēdam grauem dicere solitum memini, Historiam Thuani quasi supplementum quoddam Rabelesij sibi videri; Adeò crebris perspersa est dicterijs siue Apophthegmatis quæ Lucianicum quiddam olent. Seligam eius generis pauca quædam; nam plura me pietas vetat.

Sumam

Sumam initium à Pontificibus maximis. Refert, *Hadrianum quartum dicere consueuisse, Non videre se quomodo qui fastigium Pontificatus maximi tenerent, saluti suæ consulere possent: Et id etiam aliquando à Marcello Ceruino deplorante miseram Pontificum Romanorum conditionem esse repetitum.* Nam vir optimus Thuanus, de omniũ salute sollicitus timet parenti communi omnium nostrũ, cui magna illa totius Ecclesiæ cura incumbat, quem tot vndiq; premant, peneq; opprimant negotia: B. Petrum Moronæum cuperet omnes imitarentur, ponerent infulas, clauum abijcerent, ventis & procell s Petri nauiculam permitterent, sibi suæq; saluti cauerent, captata secretioris loci quiete, quod vt ille vult, in illo rerum summo fastigio omnis ad salutem via sit interclusa. Rectè mones Thuane, cui cum tertius in Senatu gradus occupationum satis & periculorum non afferret, principem in eo locum maximis dimicationibus expositum omni ratione conatus es assequi. Sed hoc alij in cæteris elogijs tuis ponent, nunc quod cœpimus agamus. Neq; enim tam ab Hadriano dictũ quàm confictum à Thuano, aut hæretico aliquo crediderim bellum illud apophthegma. Ain' tu? Nullam Pontifici Romano salutis consequẽdæ reliquam esse viam? Qui in Ecclesiæ specula vigilat, qui lupos ab ouili Christi arcet, qui morbidas pecudes ab integris secernit, qui gregẽ suum à noxio pabulo auocat; Dicam planiùs vt me intelligas; Qui verbi Diuini præcones in Germaniam, Angliam, Hollandiam, erudiendo populo, confutandis hæreticis, dispensandis Christi Sacramentis in dies submittit; qui ad Indos vsq;, & ad vltimas orbis partes, Apostolico spiritu afflatos homines amandat, exterminandæ Idololatriæ, & serendi Euangelij causa; qui Romæ, qui tota Europa, & in plerisq; Asiæ & Americæ partibus seminaria Iuuentutis Christianæ fidei præceptis imbuendæ, summa liberalitate fundat, qui libros hæreticos quasi pestilentes & noxias herbas, censuræ Ecclesiasticæ virgula submouet, qui assiduè pro domo Dei contra hæreticos excubat, huic tu salutis spem nullam esse reliquam censes? An verò splendor ille dignitatis Pontificiæ qui, sat scio, perstringit oculos tuos, & quorundam noctuarum tibi similium, vetuit quominus Damasus, Leo, Gregorius, Zacharias, Adrianus, plerique alij præclarè officio fungerentur? Audirem libens quid de Aarone Pontifice sentias: quem si tu quoq; vt ille quondam Alexander Magnus in Iaddo successore vidisses, lamina

Lib. 11.

aurea, tiara magnifico, podere decentissimo, rationali pulcherrimis gemmis interlucente, vt obstupuisses? an tu etiam manib' sacrilegis aut scripto virulento, sacrum illum habitum à Deo & institutum & definitum auderes violare? Ad Iudaica me prouocas, inquis, Cultum hunc omnem respuit Christianæ religionis modestia. Ain' tu? qui nescias S. Ioanni Euangelistæ πέταλον aureum vt poté Episcopo Asiæ fuisse, quemadmodum olim S. Polycarpus eius discipulus apud Eusebium retulit; aut verò non audieris ex S. Hieronymo, vt olim ad pedes S. Epiphanij Salaminæ Episcopi populus accidere consueuerit osculi gratia? aut ignores veterem morem Christiani populi religiosè manum Episcopi dissuauiantis? Eum te, si nescias, S. Ambrosius docebit. Quod si tam auidè S. Hieronymum legeres quàm studiosè incubas libellis famosis ex odij officina depromptis, scires S. Damasum, cuius ille amanuensis Romæ fuit, tanta circumfulsisse gloria in illa summa Pontificia dignitate, vt longè omnibus gentilium flaminibus, adeoque ipsi sacrorum regi anteiret. Quod si prophanis autoribus quàm S. Hieronymo mauis credere, habes Ammianum Marcellinum referentem Magni Athanasij Alexandriam ineuntis gloriosissimũ triumphum: Fuit olim tempus, cum nemo his offenderetur, statuerentq; omnes dignitati à Deo tot immunitatib' cohonestatæ, satis ab hominibus deferri non posse. Eruperant non ita pridem ex inferi antris Myopes & tenebriones quidam, qui splendorem dignitatis Pontificiæ ferre nullo modo possunt, in eam furenter inuehuntur, belluam septi frontem, Vaticanam, diadematam per summum scelus vocant. Ego tibi te Thuane, hoc est tuos versiculos commodiore loco obijciam, vt quid de sacra Pontificum dignitate cum hæreticis sentias, omnes ex te ipso intelligant. Expectasne tamen dum Sol radios suos subtrahat, quod à Cæculis nescio quib' Vulcani filijs improbè lacessatur? scimus à S. Chrysostomo dictum esse, καὶ τὰς ὗς τὸ μύρον πνίγειν εἴωθε, καὶ τὸ φῶς τοὺς ἀσθενεῖς ὀφθαλμοὺς σκοτίζειν.

Epist. ad Ioan. Hieros.

Lib. 10.

Venio iam ad aliud dignũ Thuano apophthegma: *Cum Corneus quidam Santacij fraude in hostium manus deuenisset, fertur Iulius Tertius*, inquit ille, *dicterio se & Corneo digno, facta ad Santacij nomen, quod Italica lingua, obscurum ac nullius virtutis sanctum sonat, allusione, tristem nuncium more suo excepisse: Mirari se nimirum qui Corneus qui minimè veros sanctos ac ne Deum ipsum quidem crederet, se semere*

merè Santacio credidiſſet, & fidem eius promiſſis tam inconſiderate adhibuiſſet. Hæc Iulius, aut vt veroſimilius eſt Thuanus de Iulio commentus eſt: nam Caluiniſticũ quiddam olet iocus iſte: Nec enim agnoſcit Eccleſia Santacios ſeu ſanctulos iſtos, quos è Calendario ſuo petijt Thuanus, & obſcuros ac nullius virtutis ſanctos eſſe definit. Caueſis amabo Thuane maledictis ſanctos laceſſere, ne quid virium ac virtutis habeant, tuo malo edoctus ſcias: Nam ſi periculoſum fuit in eum ſcribere qui potuit proſcribere, quãtò inconſideratius eſt in eos maledicum ſtylum exerere quorum apud Deum ſumma poteſtas eſt? Monet Gregorius ille meritiſſimo cognomento Theologus, te longè & ſapientior & religioſior, Απαντα δύναται κυπριανοῦ κ̀ ἡ κόνις: Itaq; ſi ſapis luxuriantem illum ſtylum tuum, & ex vicinia hæreſeos irreligioſum neſcio quid haurientem, pauliſper ſtringe: Suorum perſæpe grauius quàm ſuam Deus vlciſcitur iniuriam. *In S. Cypr.*

Neque religioſius eſt quod Thuanus retulit, dictum à neſcio quo Ioanne Mendoza regiorum diſpenſatorum principe Sorbonenſib' Theologis, cum hi Petro Caſtellano controuerſiam mouiſſent, quod de ignibus expiatorijs dubitare viſus eſſet. Quibus autem te lætitijs efferri credam hęc tuis athea dicteria narrantem? quanta porrò animi voluptate cenſes Ingentes trepudare Titos, cũ grauiſſima ſcilicet illa tua apophthegmata tam ſtudioſè collecta, perlegunt? nec tam opinor ſuum cuiq; nomen cognitum eſt quam illud mendaciſſimi Mendozæ dictũ de Rege Franciſco decurrente quouis ocyus Euro loca expiatoria: Te doctore ſcilicet & altero ſæculi noſtro Liuio, hæc poſteritas omnia ſciet, Te magiſtro cum ridere volent Epicuri de grege porci in ſuis illis putentibus gurguſtijs, habebunt ad manum ſcommata quæ in veritatem Catholicæ religionis euoment: Cumque Tullius hiſtoriam dixerit eſſe Magiſtram vitæ, noua tuæ nobis definitio quærenda erit: Excogitabũt alias alij, hæc mihi certè optima videtur, ſi quis eam hiſtoriam dicat, Magiſtram improbitatis, calumniarum officinam, armarium atheiſmorum: Si cui non videor ſatis expreſſiſſe quidquid in ea eſt aut vanitatis aut nequitiæ, addat ſanè quod volet, per me licebit. *Lib. 3.*

Iam excutiendum illud quod de Cardinali Caraffa memoras: *Is cum Lutetiam tanquam Pontificis legatus ingrederetur*, ais, *Et ſignum Crucis, vt fit, ederet, verborum quæ proferri mos eſt loco, vt erat* *Lib. 12.*

securo de numine animo, & summus religionis derisor, occursante passim populo, & in genua ad ipsius conspectũ procumbente, sæpius secreta murmuratione hæc verba ingeminabat. Quandoquidem populus iste vult decipi decipiatur. At tu ipse Thuane nisi fuisses summus religionis derisor, & parum certo de Deo animo, hæc scripsisses? hæc in odium Pontificis, Cardinalium, sacræque benedictionis formulæ commentus esses? non maluisses æterno hæc omnia silentio obuoluere, vt verissima essent, nec à te, vt apparet, conficta, quàm litteris in contemptum religionis consignare? Nam cui tandem bono hæc omnis narratio? non placebat tibi tuisque Pontificio legato delatus honor: satis intelligo: nec illa ratio benedictionis Ecclesiastico more impartiendæ, quam ne nominasti quidem, satis probabatur; ideone petulanti illo maledicto concidenda fuit grauissimi Principis ad Christianissimum Regem missi existimatio? Certè interdum venit mihi in mentem subuereri, ne Lutheranus quispiam amicus tuus aut Caluinista, eiusmodi seu historias seu dicteria tuæ historiæ quasi plagulas, aut lemniscos addiderit: Nam quis credat à Catholico talia proficisci potuisse? Tamen cum stylum tuum æquabilem videam, & idem maledicentiæ virus tuis omnibus libellis offusum depræhendam, dubitare non possum quin tu horum sis omnium artifex. Ac vide quæso quantum in ea re profeceris. Memini quendam Principem senatus tibi perquam simillimum, seu linguæ petulantiam dicas, seu laxiorem religionis disciplinam, cum de re pia & ad Ecclesiæ vtilitatem pertinente in illo senatu ageretur, obluctaretur porrò pene solus ille omnibus, vbi se suffragiorum numero vidit obrui, exclamasse illud tuum, seu Caraffæ mauis, Si populus iste vult decipi decipiatur. Ita enim sumus iam vsu naturæque vitio comparati, vt id genus dicteria longè tenacius hæreant animis quàm quæ ad mores formandos rectè à sapientibus viris dicta sunt.

Lib. 11. Nec omittenda mihi videntur quæ Thuanus noster de Claudio Espencæo doctore Theologo refert: *Actum fuerat, inquit, Romæ de eo in Cardinalium Collegium cooptando, sed ab æmulis apud Pontificem delatum est quod ille quædam perperam inter concionandum, de Aurea, quam vulgò appellant, Legenda locutus, cum Ferream potius vocandam esse cõtenderet, quare postea publicè recantare coactus fuisset:* Atque vt id ne temerè abs te dictum putetur, grauem autorem laudas Ioannem Sleidanum Caluinistam. At ne nos doce quæso Thuane, quas & quam graues ob causas Espencæo alioqui docto

viro

viro clausus ille fuerit ad sacros honores aditus: Nec enim sola illa causa quam tu prætexis calumniosè, nec bellula illa quam tu quasi filiolam tuam dissuauiaris allusio Legendæ aureæ seu potius ferreæ vt dicebat, ei obfuit: Multa peccarat alia homo quidem à litteris humanioribus satis instructus, sed in Theologicis penè rudis: quiq; destitutus ijs adiumentis, quæ Scholastica quam vocant Theologia solet afferre ad difficiliores scripturæ & sanctorũ patrum nodos explicandos, impegit non semel, & sanè magno bonorum omnium mœrore grauiter. Conueniemus eum in sequẽtibus agentem de sacris Imaginib' tollendis è sacris locis, & omni cultu ac veneratione spoliandis. In quo errore quamuis te fautorem & partiarium habeat, euincet tamen Catholica veritas tot testata sacrorum Conciliorum contra vos decretis. Et sanè id ferè vobis cõtingit, q à Poëtis vel Accursio ad sacras litteras illotis manib' sæpe cõuolatis, Aut q parta nonnulla græci latiniue sermonis cognitione, confestim sacraria omnia mysteriorũ fidei vobis patere vultis, & anteq̃ veterũ qui vobis & ætate & scientia & autoritate præierũt sententias rogetis, imo ne audita quidẽ sacrosanctæ Ecclesiæ decisione de abstrusissimis reb' pronunciatis, q in reculis illis vestris & negotijs quotidianis cum arbitri iudicesue sedetis, nunq̃ ageretis: Quamobrem desine Thuane iudicium Pontificis de Espencæo criminari, noli vanissimã causam afferre p̃teriti illius hominis in legendo Cardinalium Senatu: Qui sibi priuato tantũ attribuit, vt leges Ecclesiæ nouas præscriberet, abrogaret veteres, quid faceret in illo summo dignitatis gradu constitutus?

Quanquam nõ nescimus Thuane quàm multa in Legenda illa aurea seu ferrea cum Espencæo mauis, perperam conscripta sint: audiuimus hæc ab illis qui rerum Ecclesiasticarum quàm tu scientiores sunt. Neq; tu solus fidem illius libri eleuas: faciunt id tecum qui de Lutheri & Caluini schola sunt, q in eo præter illa quæ vel ab imperitis vel à maleuolis aspersa sunt, pleraq; inueniũtur, quę te tuiq; similes mordeãt, qualia sunt, delatus à Christianis omnibus primæ sedi honor, frequentes ad beatorum Apostolorũ limina ex orbe toto peregrinationes; religiosæ vitæ institutũ, q tu summoperè quodam carmine detestaris; Excomunicationis quæ neruus est disciplinæ Christianæ, quanta semper vis fuerit: hęreticos quantum semper maiores nostri sint auersati: Eæ sunt causæ mi Thuane, si veri amantes sumus, cur legenda illa ferrea non ferenda vobis esse videatur: Passauantij tibi iucundior est, sat scio,

lectio; Protestantium libelli quot ũ nundinæ Francofortienses feracissimæ sunt, tibi plus voluptatis afferunt: Ex ijs in historiam tuam deriuas plurima, illi tibi affatim sufficiunt quæ in Romanũ Pontificem, Cardinales, Episcopos, religiosi instituti sectatores, probos deniq; omnes quasi ex plaustro maledicta deoneras. Et miramur eam à Romano Pontifice anno superiore inter libros damnatæ & improbatæ lectionis esse recensitam?

Lib. 16. At illud quo tandem loco reponemus ꝙ tu vis rescire posteros, Annam Burgum apostatam omnium teterrimum, quem tu tamen quasi vnum de priscis martyrib' obliquè commendas, *cum Episcopi Parisiensis iussu Sacerdotali charactere,* (vt loqueris imperitissimè) *tanquam indignus ritu recepto priuaretur, testatum se lituram hanc libẽti ac læto animo pati, quod ita signo à bestia, cuius in Apocalypsi fit mentio, & quam Pontificem Romanũ interpretabatur deleto, nihil sibi porrò cũ Antichristo cõmune futurũ esset.* Quid ergo iam restat Thuane nisi, vt omnia Caluini Bezæ Lutheri aliorũq; improbissimorũ hominum in res sacras conuicia percenseas? Nam ijs te mirificè delectari satis significas, adeò studiosè omnia quę à nefario homine infelicem animam exhalante, & à temporarijs ignibus ad perpetuos duce hæresi ꝓperante dicta sunt collegisti, verbisq; elegãtibus exornasti. Quærat qui volet in illo bene magno historiæ tuæ volumine, si quid vnq̃ sit præclarè à doctissimis viris dictum scriptumue ad confutandas hæreses istas nuperas: Mirum de ijs apud te silentiũ: Quasi tu Geneuæ aut Magdeburgi natus & educatus nunq̃ Christianę lac institutionis suxisses, ita tibi inaudita & incomperta illa omnia. Si quid improbissimus quispiam perfuga in summos Pontifices, Cardinales, Prælatos, Religiosæ vitæ sectatores commentus est, si quid Marsacus, aut Burgus, aut Colinius cecinisse ferunt in morte ob hæresim obita, id tu quasi trophæum quoddam in æde memoriæ vis consecratum.

Nam quod tu Sacerdotalem characterem vocas attonsam illam in Sacerdotum apice comam, insulsè deliras; & erras tuo more sacrarum rerum ignorantia. Veros Theologos consuluisses, non illos nuperos & è lapide emptos, quorum legendis cõmentis potius quàm commentarijs plus æquo te addixisti. Scires quid character, vbi & quibus Sacramentis imprimatur, quàm nulla cum temporis intercapedo sit oblitteratura. At dum bonas horas legendis malis libris Chytræi & aliorum Caluinistarum, de bestia, de Antichristo, eius nomine, numero, charactere impendis, non

vacat

vacat tibi ea perdiscere, quæ animæ tuæ salus sibi deposceret. Sed ostendam alio loco pluribus, quàm tu implacabili odio in Romanum Pontificem feraris: Nunc tantum hoc dico, Tibi tuiq; similibus in firmissimam illam Ecclesiæ Petram incurrentibus id certissimè euenturum, quod api contingere solet, quæ vbi furenter in saxum irruit, & stimulum & vitam perdit. Aliis Thuane petra illa pulsata ventis est, non cessit hostibus quam tu sis potentioribus: Aliæ ante te vespæ, fuci alij & crabrones in petram hanc stimulos frustra strinxerunt, audita sunt eorum in primam sedem murmura; Mendacium veritati, rationi furor, schisma & hæreses cesserunt Ecclesiæ: Tu si quid supra reliquas Inferi portas, aut potius, supra Christum potes Ecclesiæ sponsum & protectorem, age.

CAPVT V.

Thuanus in sectarios propensior.

MVlta nos vt id constãter afferamus perpellunt, quæ passim historię suę quasi testatissima animi sui sensa inspersit. Pauca de plurimis producam. Cum Lutherana lues integerr num hactenus Galliæ corpus inficeret, Christianissimi Reges Fr .nciscus Primus, Henricus Secundus; Franciscus item Secundus, & Carolus Nonus, censuerunt pestilentissimam illam gangrænam ferro flammaque curandam esse, ne latius serperet. Puniti sunt audaciores nonnulli, vt pœna paucorum, exemplum esset omnium. Displicuit vehementer Thuano homini mitissimo ea Christianissimorum Regũm & sapientissimi Senatus in Nouatores sententia: quare nulla se obtulit occasio quam non arripuerit auidissimè vt se in alia fuisse sententia probaret Geneuensibus, Tigurinis, Valdensibus, sectariis denique omnibus. Id verò persuasisti Thuane, faxis ne iam animo tuo hic scrupulus hæreat, satis intelligunt illi tui fraterculi quantum abhorrueris ab illa legum regiarum seueritate. Rem aliquot testimoniis historiæ Thuanicæ confirmabo.

Laboriosissimè transcripsit ex hæreticorum Kalendariis sutores, lanarios, cerdones omnes qui in Anglia, G llia, Germania multati sunt iussu Catholicorum Principum quod hæresim obfirmato animo tuerentur, callideque disseminarent; Pene diceres

eum Acta Proconsularia, quibus veterum Martyrum certamina continentur, texere voluisse: Ita sedulus est in loco, tempore, personis, verbis vltrò citroque habitis percensendis: Denique suppliciorum genera quibus istorum hominũ compressus est furor ita & tragicè & enucleate persequitur, vt sua sibi viscera hac iuris acerbitate diuulsa distractaq; satis significet. Ludouici Marsaci hominis militaris cum ad rogum impietatis titulo duceretur, dictum constantiæ animique plenum refert, vt pene Martyrem vindicatum pronunciare velle videatur. In Anglia breui temporis spatio sub Mariæ Catholicæ imperio septuaginta sex supra centum numerat, ob religionem, vt loquitur, supplicio affectos. Alibi refert Lutetiæ quosdam delatos fuisse, qui in Mauberti platea coitiones facerent; *Delatione*, inquit, *insigni mendacio cumulata; nam non solùm conuentus nocturnos haberi, sed etiam in iis promiscuos concubitus exerceri extinctis luminibus aiebant*: Mitto cætera, in quibus historicum se esse Thuanus oblitus, hæreseos patronum non obscurè agit. Castissimæ scilicet & de qua veterum Gnosticorum coitiones suspicari grande nefas sit. Illud non omitto quod eodem loco, lamentabiliter vt est apud Plautum, paratragœdiat. *Hac inquisitione*, inquit, *multi vt periculum anteuerterent fuga saluti consuluere*: (Miror Thuanum sacrarum literarum scientissimum, non statim hîc laudasse Apostolum consolantem Hebræos talia ob Christum passos, Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio accepistis) *Eorum bona annotata, & mox sub hasta publicata sunt. Ac videre erat passim per vrbem omnis generis variam supellectilem præconis voce diuendi, absentes reos tribus edictis citari, vacuas ædes proscribi, in quibus tantum relicti erant pueruli infantes qui quod fugitiuorũ fortunæ comites esse non potuerant, lamentabili eiulatu vicos & plateas rũpebant. Quo spectaculo*, inquit, *nemo non vel Protestantium causæ infestissimus summopere commouebatur.* Quã putas gratiam iniit Thuanus apud Geneuenses Rupellanos Argentinenses Hollandos, descriptione hac tam eleganti persecutionis acerbissimæ Caluinistarum & Lutheranorum?

Quid? Annæ Burgi Senatoris Parisiensis obstinatum in hæresi animum quibus verborum pigmentis ornat? Nunquam Cæsariensis Eusebius licet facundissimus, ita res veterum Martyrum celebrauit. Sic enim Burgum causam dicentem ponit ob oculos Thuanus, vt Polycarpum quempiam vel Laurentium Martyres

sanctiss.

Lib. 9.
Lib. 12.
Lib. 16.
Lib. 16.

ſanctiſſimos coram Decio aliquo conſtitutos diceres: Eius reconditam ſcientiam dilaudat. Maiores ciet: Exitum veris optimorum virorum lacrymis condecoratum aſſeuerat; Denique, *Ex eius cineribus*, inquit, *ampla defectionum ac coniurationum ſeges enata creditur.* At parcius iſthæc Thuane, ne te tandem prodas penitus, & vnus plus toto Senatu ſapere velle videare. quin ab illo ad Geneuenſem Eccleſiam aut inquiſitionis Anglicanæ ſeuerum tribunal prouocas?

Venio ad aliud quod idem Thuanus omnibus ſanè ingenij neruis expreſſit; Triſte nimirum ac funeſtum ſpectaculum: Fuit id ſumptum ſupplicium de Lutheranis pleriſque, Inquiſitionis Hiſpanicæ decreto; Eique Philippus Secundus Rex partim Pinciæ partim Hiſpali voluit intereſſe: *Plenum inde Miſericordiæ ſpectaculum,* inquit, *inde inuidiæ, ex eo auctæ quod Bohorquia* (Lutherana) *cæteris ætate minor, vix enim vigeſimum primum annum attigerat, ſumma conſtantia mortem ſubiit. Sed quod Vaniæ ædes cœtibus ad ſacras faciendas preces patuiſſent, eadem quâ illa damnata eſt ſententia, à fundamentis dirui iuſſæ ſunt.* Et paulò poſt: *Auxit eorum numerum Franciſca Chaueſia virgo Deo dicata, &c.* Prætermitto cætera quibus carpit laceratque iudicium illud omne. illa tantum duo triáue in hac tragica deſcriptione concoquere non poſſum: Quî Lutherana Chaueſia, virgo Deo dicata poſſit adhuc dici: ſi modo verum eſt quod dixit S. Chryſoſtomus παρθενεύκσαι apud hæreticos ὅμοιαι ταῖς πορνευσάσαις: Adhæc cur debuit à Conſtantia laudari, obſtinata in hæreſi fœmina? ſed de hac catachreſi Thuanica dixi ſuperius Capite de Formulis loquendi Thuano propriis: Cur autem mirum ei videtur, homini ſcilicet ſapienti & rerum præteritarum nō ignaro, eas ædes in quas perduelles conuenerant, eſſe à fundamentis euerſas? nunquam id, opinor, in ſimili cauſa factum meminerat. Aut cur ſacras preces nominare auſus eſt prophanas illas hæreticorum cantiunculas mulcendis auribus non placando Deo aptas? Negauit certè iam olim Euſebius, loca in quæ hæretici precandi cauſa conueniunt, εὐκτήρια dici iure poſſe: Præiuit nobis Spiritus ſanctus per Apoſtolum quid de iis ſentire debeamus, cum eiuſmodi Cœtum Sedem Satanæ, dixit eſſe: & tu in iis Sacras ad Deum preces fundi putas Thuane? quid iam obſtat quin & conceptas à Mahumeti Myſtis pari titulo cohoneſtes? quando tibi pectus eſſe videmus omnium religionum capax. Sed me præ omnibus

Lib. 26.

3. de V. Conſt. cap. 63.

nibus istud mouet quod qui tam acerbè fers inquisitum à Christianis principibus in Lutheranos & Caluinistas, nullum vspiam signum das auersi animi à teterrima crudelissimaq; Anglicana Inquisitione qua tot sanctissimi viri mactati sunt ab Henrico Octauo, Eduardo & Elizabetha: Hoccine credibile est nesciuisse te? aut verò subscripsisse damnationi Nobilissimorum Martyrum, Thomæ Mori, Ioannis Episcopi Roffensis, Carthusiensium, aliorumque pene innumerabilium, quos ille sui sæculi Nero sustulit quod eieratam abs se summi Pontificis authoritatem, sed diuina voce confirmatam, ipsi prodere nullo modo vellent? fugisse te dices quæ lippis & tonsoribus nota sunt, quæque tabulis pictis expressa passim vænierunt, supplicia inquam illa crudelissima de sanctissimis viris sumpta, renouata vetera & à Nerone, Decio, & Diocletiano excogitata tormenta, equuleos, catastas, vncos, sartagines, viscerationes, suffixa contis cæsorum capita, disposita passim Lõdini aliisq; in Angliæ vrbibus pro turrium & murorum pinnis ad horrorem spectantium: Hæc scilicet nesciuisti omnia Thuane, vel approbasti, qui ne vocula quidem vna perstrinxisti, effusus in eorum commendationem qui sub Maria Angliæ Regina Catholica hæreseos nefariæ pœnas luerunt. Iam non ausim frustra illud Iosuanum abs te scitari, *Noster es an aduersariorum?* qui tam manifestis indiciis quarum sis partium præ te feras, cum furenter in eos incurris qui seuerius aliquid in Caluinistas vel Lutheranos statuerunt. Atqui non nesciuisti, & Michaëlem Seruetum Caluini iussu Geneuæ extremo supplicio ob hæresim affectum fuisse, & eopse tempore scriptum à Caluino librum, de puniendis hæreticis, quo factum suum probaret; & Valentinum Gentilem Bernæ eodem nomine vita priuatum Iudicio senatus: Quæ tamen omnia summis digitis attigisti; ne quos hactenus propugnaueras, vel leuissimè in toto tuo opere perstrinxisse putarere.

Lib. 9.

Lib. 11. Et offendit sanè illud grauiter piorũ omnium animos, quod cum Thuanus paucis exposuisset quę Maria Catholica Anglis imperante, à senatu decreta fuerant, in cadauera Buceri & Fagij hæreticorum, prætereaque vxoris Petri Martyris item apostatæ, (quam demortuam impij homines fœminam hæreticam condiderant cum cineribus Beatæ Frisuidæ quæ in iis locis maxima olim veneratione colebatur) Mox non expectata serie temporum, vbi imperatam à Catholicis iudicibus sub Maria vt dixi exhumationem

tionem istorum cadauerum retulit, conuolat ad tempora Elizabethæ hæreticæ, & de restitutis eius iussu honoribus Bucero, Fagio, & Vermilij scorto, verborum magnifico apparatu agit; vt penè cum hæreticis triũphare subsaltans illius dictio videatur. Quin etiam homo ad omnes calumniarum artes intentus, simile quiddam factum olim refert à Stephano Sexto, & Sergio tertio Pontificibus Romanis in Formosum: adeo Scarabeis volupe est in fimo lutoque deuersari. Nec minore, vt videtur voluptate, *Matthæi Pacheri Archiepiscopi*, inquit, *Cantuariensis, Edmundi Grindalli Londinensis & Richardi Clocestriæ Episcoporum*, memorat authoritate hæc omnia perfecta esse: Quanquam quos ille vocat Episcopos, S. Athanasius haud paulò saniore vir iudicio κατασκόπους, S. Stephanus iunior insignis ille sub Iconoclastis Martyr, ἐπισκόπους, S. Petr' Episcopus Episcoporum ἀλλοτριοεπισκόπους, dixerunt: nos cum Ezechiele Propheta, Pastorum seu Episcoporum laruas & Idola nominamus, Quibus scilicet fœmina Ecclesiæ Anglicanæ caput ius omne authoritatemque transcripserat. Sed relicta Anglia redeo in Galliam nostram.

Vbi Thuanus ea percenset quæ anno sexagesimo nono superioris sæculi contigerunt, Andelotum quasi vnum è priscis illis heroibus prædicat, eique hoc Epitaphium statuit: *Obiit Andelotus vir prudentia & æquitate præcipuus*: quem paulò ante dixerat, *Abiisse Pictonas vt pecunias vndique, maximè ex sacro patrimonio corrogaret, & res Protestantium iis in locis labefactatas restauraret.* En illa Thuano sapientissimo Iudice commemoranda Andeloti nequissimi sectarij æquitas, en prudentia sacrilegi prædicanda: res hæreticorum labefactatas restaurare, positas Deo ædes expilare, Ecclesiæ patrimonio contra Ecclesiam pugnare, sacris rebus ad vsus prophanos abuti: vtrumne improbior qui hæc patrauit Andelotus, An Thuanus qui hæc æquitatis & prudentiæ immeritis titulis exornat, impudentior? *Ad Annum 1569.*

Habuit fratrem Andelotus Odetum Colignium qui Cardinalitiam purpuram grauissimis flagitiis, ac perfidia denique hæretica fœdauit: & Thuanum ille tamen nactus est laudatorem: Ait enim, eum, *suscepta procuratione causæ Protestantium demoratum in aula Elizabethæ reginæ Angliæ.* Tum de eius ingenio, iudicioque grauissimo plura. Iam non miror fuisse olim qui freti acumine ingenij & dicendi facultate paradoxa nescio quæ pertractarint, cum *Lib. 48.*

video

video susceptum patrocinium nefariorum apostatarũ, ab eo maximè qui & amplissimi Senatus Præses sit, & Catholicum se haberi velit. Nam & Petrus Placius qui anno M.D.LXXII. cum cæteris hæreticis Lutetiæ cæsus est, eidem Thuano videtur, *vir grauitate, doctrina, & integritate clarus*: Grauitatem hominis in eo vt opinor statuit quod de praua opinione suscepta nunquam se dimoueri passus est: Doctrinam verò Placij singularem Thuano iudice, fuisse fatendum est, qua plus vnus ille viderit in religionis negotio, quàm omnes retrò Ecclesiæ Magistri, licet sacras literas nunquam attigisset, sed in foro & rationibus regiis tractandis ætatem omnem triuisset suam: Deniq; quid ni illius integritas ab eodem Thuano prædicetur, qui cum perduellibus, & Dei regisque Christianissimi hostibus consilia communicarat? Si hoc sapere est Thuane, quid tandem desipere est?

Lib. 52. Cauagnius & Bricomotius Catholicorum hostes infensissimi capite luerunt Lutetiæ Anno Domini M.D.LXXII. Hîc lasciuit Thuani stylus, prædicâtis mirifico verborum apparatu fortem Cauagnij noui Martyris animum, Bricomotium exhortantis ad grauia omnia perferenda: Vincentium quempiam inuictissimum Martyrem diceres sub Daciano acerbissima quæq; patientem, si nescires Cauagnium & Bricomotium geminum par improbitatis ob grauissima flagitia in scalas gemonias pertractum, & hactenus expertus non esses Thuani vanitatem & malam in scribenda historia fidem. *Triborio toto*, de Cauagnio moriente loquitûr, *Latinè Psalmos defixis in cœlum oculis mortem opperiens recitauit.* Tum paulò post: *Nec satiata plebs supplicio, etiam in mortuos indigne sæuiit, quibus interula spoliatis, etiam pudenda abscidit.* At hîc opportunè poteras & debebas Thuane Dei vindicem manum in sceleratos prædicare: & de Bricomotio nominatim id dicere, quod de Albaspinæo, Ponsenatio, Cardinali Santandreano & aliis in hæreticorum gratiam vanissimorũ rumorum auceps dixisti, θεηλάτῳ συμφορᾷ, vt est apud Euripidem, in eas miserias prolapsis iustissimè quas aliis iniustissimè intulerant; Cum non ignorares solitum Bricomotium Sacerdotes Catholicos excidere, & eorum auriculis contexto torque ad pompam vti.

Lib. 17. Neq; se minus acrem hæreseos patronũ professus est Thuanus cũ eò venit vbi sumpta de reis Ambosianæ coniurationis supplicia recensenda ei fuerunt. quas non spiras molitur tortuosus

anguis

anguis vt veritatis caput obtegat? qua non dissimulatione vtitur? *Præcipitata*, inquit, *multorũ iudicia ac supplicia, Cum alij noctu ad pinnas arcis suspenderentur, alij quorum spectaculo permoueri homines posse metus erat in profundum mergerentur. Interdiu verò permulti ad supplicium more insolito rapiebantur sine elogio ac criminis titulo, & sine vocali carnificis præconio, denique nominibus damnatorum suppreßis, ita vt flumen cadaueribus supernataret, oppidi vici sanguine exundarẽt, plateæ hominum patibulis suffixorum sylua horrescerent.* Quæso, potuisset ne pictius Nerones aut Diocletianos sanguinis Christiani sitientissimos repræsentare? I nunc Thuane, & te adeò gnauiter & ὑπερβολικῶς mentientem, profitere nullo impulsum odio vel amore hæc scripsisse.

Eodem prorsus artificio describit ea quæ Lutetiæ Anno M.D.LXI. contigerunt ad D. Medardi Ecclesiam: *Catholici fragorem campanarum excitarunt*, inquit, *siue ex vsu, siue vt molestiam facessérent auditoribus Ioannis Malonis Ministri, qui in vicinia concionabatur. Ab iis mißi duo inermes qui Curionem & æditu os rogarent, vt à pulsatione illa horrifica abstinerent: Reiecti illi cum iurgiis & statim obseratis templi valuis interclusus ex iis vnus, qui cum vim facere vellet vt egrederetur, strictoque cultro se defenderet, crebris contorum ictibus postremò confossus est.* Et hunc Thuane cæteris Martyribus Caluinianis accense. Pergit: *Cum iterum strepitus campanarum excitatus esset, missus à Magistratu apparitor armatus: verum cum occlusas templi portas offenderet, saxorum grandine ex templi turre in subiectum locum depluente, affuit Gabasto præfectus vigilum, &c.* Malè profectò cessit Caluinistis quod hoc patrono per illud tempus non sunt vsi. Quã dilucidè & vero similiter seditionem ab illis excitatam purgasset? nunquam Senatus in crucem egisset Gabastonem & Argyrothinum, hæreticos seditionis principes. Prò vesanum hominem qui non sit veritus tam mala fide veritatem historicam hæreticorum gratia, interuertere! Ita quondã, vt in fabulis est, Lupus ouem criminabatur, aquæ perturbatricem. *Anno 1561.*

Vt autem ad Sanbartholomæam diem deuenit, satis ne se aperit? pro hæreticorum tum cæsorum innocentia, quasi pro aris & focis decertans, & maledictorum genus omne in Catholicos tan- *Lib. 52. & 53.*

quam perfidos & barbaros homines euomens. Non arbitror ab vllo Beza dolentius casum illum deplorari potuisse. Negat in primis, *vllum similis sæuitiæ exemplum in tota antiquitate euolutis gentium Annalibus reperiri: Hunc* ait *furorem & mentis cæcitatem Gallorum animis à diuina mente immissam propter assiduas nominis sui execrationes & contumelias, quibus Rex ipse prauè à matre, prauè à moderatoribus ipsi à matre datis institutus minimè abstineret.* Sed hic quæso siste gradum homo religiosissime: An putas dirius à quoquam diuinum

Lib 7. in Isaiam. nomen numenue violari quàm ab hæreticis? Sancto Hieronymo quàm tibi opinor præstat credere asserenti nullum esse crimen quod hæresis improbitate non superet: aut etiam nos sines Magno illi Epiphanio Salaminæ præsuli fidem adhibere, docenti, ὅτι χείρων ἡ κακοπιστία τῆς ἀπιστίας: An verò sceleratiores esse ducis qui ira ac furore de mente deiecti, Caput, Mortem, Sanguinem, vt tuis formulis vtar, irreligiosè deierant, iis quos tu quaque pagella effers in cœlum, quique & scriptis & concionibus suis persuadere populo volunt, Deum authorem esse peccati, præscripta ab eo mandata hominibus, quæ obseruari nullo modo possint, negasse nobis τὸ ἀντεξούσιον, & tamen æternis pœnis mactare eos qui non paruerint, promisisse quidem Ecclesiæ Corpus suum, cæterum præter eius figuram dedisse nihil: hoc est vt planius loquar, eripere Deo veritatem, Iustitiam, bonitatem, res ipsi penitus cognatas; Túne putas Thuane diuinum numen ab vllis grauius quàm ab his violari? at hæc sunt Mysteria eorum quos tu in ore & sinu habes. hanc tu malorum quæ patimur vel primam causam allegasses, si quid in te iudicij, veræquè lucis fuisset.

Lib. 53. Et quoniam in Sanbartholomæa Tragœdia versamur, animaduerti te nullum nō mouere lapidem, vt Gasparem Colinium Maris gallici præfectum, rebellium hæreticorum sine controuersia principem, fuisse tamen innocentissimum euincas. *In eius scrinio intercepto & reginæ iussu diligenter excusso,* ais, *nihil repertum fuisse quod illius syncerum in Carolum Nonum Regem eiusq; fratres animum non probarit.* Sobrius eras Thuane cum hæc scriberes? an ebrietas nescio quæ sicca odij in Catholicos amorisque præposteri in hæreticos te de gradu mentis deturbarat? omnemque memoriam eripuerat, rerum perfidiosissimè à Colinio gestarum contra Reges Christianissimos? quot Galliæ vrbes qua fraude qua vi occuparat? quot in patriam conflarat exercitus? quoties signa cum Carolo

rolo nono contulerat? quoties externum militem in Galliæ viscera conduxerat? Quid enim nefarie in Gallia totis decem aut duodecim annis, nisi Colinio duce tentatum fuit? Et audes reclamante tota Europa, Innocentem eum dicere; & tantum non dicere, sanctissimè diem vltimum clausisse? *Colinius*, inquit, *in pedes ad preces fundendas erigitur parieti innixus, praeeunte Merlino pastore.* Quin etiam vale suis dicentem audisti, Thuane; *Felicem me qui me mori sentiam, & in Deo cuius gratia in spem vitæ æternæ erigor moriturus sum.* Tunc excurris in ea quæ illo mortuo gesta sunt, & lamentabili nænia funus prosequeris: *Colinij corpus deformatum, pudendis item & manibus ac pedibus truncatis per vias ad Sequanæ ripam tractum est.* Nam quod aliud manupretium debebatur homini sacrorum, si quisquam alius, osori? aut quæ vnquã Iesabel plus innocentis sanguinis effudit? Nec verò temerè huius mulieris incidit mentio. Vt enim Prophetes ei interminatus fuerat, fore vt aliquãdo de superiore loco deiecta esca & ludibriũ canum esset; Ita vir quidam religiosus de sacra D. Francisci familia Iessæus nomine, insignis eo tempore diuini verbi præco, Colinio cum eius iussu Ambosiæ ad furcam raperetur, præsago spiritu denunciarat fore vt aliquando de fenestra deturbaretur, pœnasq; sexcentorũ scelerum penderet. Hoc Thuane non è libellis tuis quos ardentibus adhuc odijs scriptos dixisti petitum, sed tota Gallia decantatum, non omisisses si bona fide res vti gestæ sunt, ac non in hæreticorum gratiam narrare statuisses.

Atq; vt his finem imponam, quibus quam bene in Lutheri Caluiniq; dogmata esses animatus non obscurè significasti, de Oxyacantha seu alba spina, quam illo ipso tempore, quo de agimus, in S.Innocentij apud Parisios coemeterio, effloruisse præter naturæ ordinem viderunt innumeri, quid censes? *Siue hoc sponte, quod aliquando contingit*, ais, *cum natura deficiente in eo planta est vt penitus exarescat, siue aqua tepida ab impostoribus infusa id factum est.* Quarum coniecturarum altera ab Ingenio maleuolo, altera ab animo ita causis naturalibus affixo, vt superiorem vix vllam causam agnoscat, profecta est. Sed pergis in illo tuo grauissimo de re tanta iudicio: *Quæ omnia factiosi*, inquis, *suo furori blandientes ad Deum, his indicijs quæ patrarentur sibi grata esse significantem referebant: Itaq; & cœlum exultabundum Protestantium Lanienam aspicere aiebant: Et Iacobus Carpentarius illam lucem (ad Mensem alludens) Augustam*

Auguſtam ſcripto edito deprædicauit. Maluiſſet ſat ſcio & nefaſtam dici, & nigerrimo lapillo notari, quod eâ virtus Catholicorum de hæreticorum perfidia triumphaſſet. Atq; ex his ſat ſuperque intelligimus in quorum verba iurarit Thuanus.

CAPVT VI.

Probis omnibus & Catholicæ Religionis aſſertoribus, perinfenſus Thuanus.

QVisquis hactenus in Thuani ſcriptis notata ſpectauit attentius, non dubitabit eum qui pro ſectarijs ſemper pugnarit, nunquam probis viris, & religionis Catholicæ aſſertorib⁹ æquum fore. Nec enim fieri poteſt vt qui ſectarijs patrocinetur, Catholicis faueat. Cæterum nõ immorabor ijs recenſendis quos extra Galliam poſitos, ob ſuſceptam Catholicę religionis defenſionem Thuanus maledico ſtylo pupugit; Intra regni huius conſiſtam fines, & quibus conuitijs eos laceſſerit qui laterum ſuorum oppoſitu Galliam olim ab hæreſeos lue puram, hoc etiam ſæculo ſartam tectam tutari conati ſunt, dicam.

Lib. 25. Ac in primis nullam prætermittit occaſionem lacerandi Guiſios: vt penè iam mihi perſuaderi ſinam Principes hoſce viros, perquàm Regno Gallicano periculoſiſſimis illis temporibus neceſſarios fuiſſe, quos tam obſtinato animo perſequitur hæreticorum fautor & patronus. Nam aliud ferè nihil agit libro decimo quinto, & aliquot conſequentibus quam vt eos, *Odium commune populi Gallicani*, quemadmodum loquitur, eſſe & fuiſſe contendat; ab eis tyrannidem occupatam, nihil contra Reges ſiue Amboſiæ, ſiue Meldis tentatum, omnes illorum qui tum in armis fuere conatus eò tãtum ſpectaſſe, vt ne libertas Gallicana ab Regulis hiſce nouis violaretur; quidquid ſanguinis fuſum ſit religionis cauſa ſeu Lutetiæ ſeu in alijs regni vrbibus, id totum Lotharingorum Principum maximeq; Guiſiorum conſilijs ac machinationibus eſſe fuſum: damnatorum bona non tam fiſco adiudicata quàm eorum condonata cupiditati, omnia deniq; ab eis per vim ac fraudes geſta eſſe. Hæc Thuanus ille *ἀπαθὴς* generatim de tota Guiſiorum familia, nunc quibus ſingulos cohoneſtet laudibus audiamus.

Ioannes Lotaringus Cardinalis, solo libidinum ministerio & stolida liberalitate Francisco charus erat, inquit: Quanta & quàm multa paucis conuicia homo nefarius in virum Principem deonerat! cuius piam in pauperes munificentiam stolidam liberalitatem vocat; & obitas sæpe de maximis rebus pro Francisco primo cum dignitate legationes, libidinum regiarum ministerium nominat. quid eo improbius homine qui regi Christianissimo crimen hoc impingit vt Cardinali amplissimo, Illustrissimo Principe, homine antiquæ probitatis quasi lenone quopiam sit abusus? quod tamẽ vtrum è triuio petierit conuicium, an è libellorum suorum lacunis hauserit dubius animi sum. Sed vndecunq; petitum, Thuano perinde est, dum hamentatam odio in Lotaringos hastam torqueat. Lib. 5.

De Carolo item Lotharingo Cardinali Ioannis nepote quid attinet plura dicere? Cum eum sibi Thuanus quasi Antonium quemdam in oculos posuisse videatur, quem maledicentissimis Philippicis tota historia proscinderet. *Nullum non ab eo susceptum scelus,* ait, *nullum sine eo tota Gallia commissum*: Eum cum Perrenotto de ꝑdenda externis Gallia clàm egisse, eundem fictis criminibus quoscunq; libuit vita spoliasse: Deniq; quidquid sexcentis libellis famosis hæreseos hydra totis pene quinquaginta annis in Carolum & Franciscum Guisios, quidquid in eos veneni sparsit, id totum summa diligentia, etiam cum auctario non mediocri collegit bona fide Thuanus. Id autem quo consilio fecerit, si cui esset dubium dicerem. Nam etsi nulla quod sciam ab eis iniuria sit priuatim lacessitus, tamen fieri non potuit quin eos odisset grauissimè quos cerneret Protestantium infensissimos hostes esse. Difficile est tacere cum doleas, aiebat Romanus orator; & filiolo Crœsi quem natura loquendi vsum negarat, repentè dolor restituit: Taceretne de ijs Thuanus quos animaduertebat quasi hæreditario quodam odio ferri in Lutheranos & Caluinistas, suas, vt verè loquar delicias? Eorumne famæ parceret, quos videbat ferro flammaq; persequi hæreses, quarum propugnandarum causa historiam texere videbatur? Pauca quædam de Thuani scriptis huic rei confirmandæ seligam. *Carolus Cardinalis Lotharingus, vt regis animum occuparet, turpibus se obsequijs Valentinæ insinuauit. Is Tridenti cum esset audita Francisci Guisij fratris morte, literas ad matrem dedit consolationis plenas, ad ostentationem dißimulato dolore,* Lib. 5. Lib. 16. Lib. 5. Lib. 33.

quæ

Lib. 59. *quæ ab emissarijs eius publicatæ sunt. Idem leuitate insita, & omnem modum supergressa ambitione non solùm Galliæ sed etiam suis fatalis fuit. Adhæc summè tota vita inæqualis, & in prosperis insolens, & in aduersis infractus. Aliquando fuerat in Confessionem Augustanam propensior: Obijt in summo omnium odio.* Sic est Thuane, nullum neque hæretici neque tui similes Ecebolij magis oderant, nullum senserant grauiorem nouorum dogmatum hostem, reique publicæ Gallicanæ amantiorem. Itaque eum cane peius & angue oderant, quæq; agebat omnia sinistrè interpretabantur. Vt enim quosdã cernimus tam prauo esse stomacho, vt optimos quosq; cibos in vitiosos humores conuertãt, sic Iudicia quædam sunt adeò à vero deuia, vt eis supera infera, nigra candida, vitiosa laudabilia esse videantur: quale istud est ꝙ vspiam habet Thuanus:

Lib. 5. *Carolus Lotharingus Cardinalis Remorum præsul Academiam in vrbe sua diœceseos primaria constituit: Id ambitiosè ab eo affectatum, qui sciret & maximi momenti eam rem ad famam existimationemque, & si tempus aliquando incideret, ad res nouas moliendas ac commouendos plebis animos potentissimum telum subministraturam.* Mala mens, malus animus quàm sinistrè quæcunq; aguntur à laudatissimis viris, interpretatur! Sic est omnino vt vetus quidám autor censuit, calumnia instar veneficæ Circes facit τοὺς μὲν ψευδομένους εὐδοκιμεῖν, τοὺς δὲ μηδὲν ἠδικηκότας δοκεῖν ἀδικεῖν, denique rebus omnibus vultum mendacem induit. Thuani animus hoc humore vitiosissimo præstrictus, quàm malignè, Deus bone! pulcherrimum Cardinalis factum intuetur! Quod enim semper habitum est gloriosissimũ, vtilissimumq; reipub. Christianæ, vt vbiq; iuuentutis erudiendæ gymnasia statuerentur, quod nunquam magis Gallia nostra sibi depoposcerat, infessa tum vndiq; sciolis quibusdam Grammaticulis qui se Cornicum oculos confixisse, & ignota priscis sæculis fidei mysteria sibi solis patuisse deniq; iactabant, quod Catholici omnes gratulabundi exceperunt, quasi firmissimum præsidium in illis Campaniæ oris Sedano Victoriacoque proximis contra hæreses nimis fœcundo fatu illis locis succrescentes, constitutum munificentia vigilantissimi Præsulis, hoc Thuanus suo more ambitioni mauult & nouarum rerum molitioni ascribere?

Atque vt non soli Guisij rem Catholicam turbulentis illis temporibus gnauiter tutati sunt, ita non eos solos maledicus Thuani petit stylus. Fuit enim patrum nostrorum memoria C. V. Santan-

C. V. Santandreanus Tribunus Equitum; *Eum decoctorem luxuq; perditum hominem fuisse*, ait Thuanus. Crederem id facilius si de ijs fuisset quos vbiq; noster historiographus prædicat; Nunc cum fortissimi viri & in defendenda Catholica religione constantiam, & fidem erga Patriam regemq; Christianissimũ morte ipsa quam in perduelles hæreticos fortiter dimicans oppetijt, testatam habeamus, apage te cum solemnibus illis tuis formulis Thuane, quibus proborum omnium præclara facinora inobscurare frustra conniteris. Colinius, Andelotus, Bricomotius quia hæreticorum Principes, homines frugi & modestiæ laude clari, Santandreanus & quotquot à Catholicorum partibus steterunt, Thuano iudici æquissimo perditi luxu homines, decoctores, perfidi & si quid grauius fingi potest, dicentur. Et dissimulamus adhuc Thuane quarum partium sis? Sorex Indicio perit.

Nunc de alijs quoque viris optimis quid sentias audiamus. Profectò enim vt argutè olim à Tertulliano dictum est, Hoc maximè argumẽto Christianæ religionis probari integritatem, quod ea Neroni homini sceleratissimo improbaretur; Ità credibile est posteros ꝑ fidei Catholicæ assertoribus constantissimis habituros duntaxat eos quos tu vituperas maximè: adeò tute tibi in hoc scriptionis genere quàm simillimus es. Georgius Cardinalis Armeniacus Lugdunẽsis primas maximis pro Dei Ecclesia perfunctus laboribus, diuino consilio datus Galliæ tunc videtur cum Lutheri Caluiniq; furiæ in sacra omnia conuolarunt. At modestissimus homo Thuanus de eo sic loquitur: *Georgius Armeniacus Cardinalis homo gloriæ ad vanitatem cupidus*. Nam quid aliud à vanissimo scriptore alteroq; nostri æui Palæmone iudicium expectes? qui cum sibi censoriam in omnes virgulam arrogarit, in eas iudicij præcipitauit tenebras vt dignitatem pontificiam superbiam, hæreticam insolentiam modestiam nominet? Lutherus disertis verbis suum Iudicium Patrum omnium decretis antepofuit, negauit quenq̃ præ se ab Apostolorum æuo fuisse qui scripturę fideiq; nodos dissolueret accuratius: Caluini dictũ perfrequens, est, allatis Patrum contra se sententijs: Sed veteres omnes nihil moror; Idem disturbatis Christi ac Diuorum Imaginibus suas vbique circunferri finit; nunquã voculã homuncionum istorum incredibilem neq; ferendam superbiam attigit Thuanus: Si quis summus Ecclesiæ Pontifex, tiaram ab Ostiensi Episcopo solemnis ritu accipiat. Si

In apolog.

Lib. 18.

quis

quis Archiepiscopus autoritatem suam tueatur, & de veteri more clero sacris infulis insigni stipatus procedat, mox Thuanum audies stentorea voce, detonantem in fastuosam Ecclesiasticorũ ambitionem. Laudo hominis ingenium, qui cum placere maximè cuperet, ijs quibus Ecclesiæ splendor in primis displicet, eò collimauit toto historiæ suæ contextu, vt præcipua Ecclesiæ capita deprimeret conuiciorum mole si posset: minusq; me iudice sapienter prouisum est à Tacito Imperatore, cum edixit Cornelij Taciti gentilis sui historiam in singulis Bibliothecis imperij asseruari; quàm à Thuano: Qui vt perficeret ne qua hæreticorum aut atheorum Bibliotheca historiam suam non haberet, eam id genus calumnijs refersit, & ijs illecebris condiit quibus vulturios illos saginari solere sciuit. Videamus quid de alijs senserit.

Lib. 5 *Petrus Lizetus primarij præsidis in Senatu Parisiensi locum diu magna cum laude tenuerat*, inquit, *Is Sanctouictoriano cœnobio donatus reliquum ætatis in illo suburbio exegit, extrema clausula minimè priori vitæ & famæ respondente; Dum literarum sacrarum homo rudis Theologicis libris in illo ocio scriptis se deridendum propinat. Quibus, contrario scripto artificiosè ridiculo sub Benedicti Passauantij nomine, à Theodoro Beza, vti creditur, responsum est.* Nam grauis historici partes fuerunt libellum illum Lucianico stylo exaratum, & ab impurissimo scriptum homine in causa fidei contra virum optimum & doctissimum commemorare: neque veritus est Thuanus ne se quoq; probis omnibus deridendum propinaret; non modo cum secessum Lizeti Religiosum & libros ibidem ab eo pro Catholica religione scriptos postposuit Geneuensis rabulæ ac infamis stigmatiæ nugis artificiosis: Sed etiam cum illum carpere ausus est qui à rebus forensibus ad Theologicas, sacrarum literarum, inquit, homo rudis; sese contulit: Quasi scholam Theologicam Thuanus ipsemet vllam vnquam adierit, qui tamen subinde Theologum agit, tam ineptè quàm temerè, vt aliâs docebimus

Eo in Senatum vbi eosdem reperio & hæreseos & Thuani

Lib. 15. hostes. *Iacobus Magister Princeps Senatus in causa Annæ Burgi, asperior ipsi videtur: Is consilij machinator*, inquit, *vehementius insectarios perorauit.*

Lib. 16. *Renatus Bailletus homo bonus sed secors. Ioannes Santandreanus itidem præses re in maius exaggerata Lutheranos quosdam*

Lib. 17. *coram Catharina sistit. Ægydio Burdino cognitore regio instante anteà*

sectarijs

sectarijs semper infesto, & rem in maius augente, quia Guisianorum literæ accesserant, nulla mora interposita, promulgatum fuit in hæreticos decretum. Antonius Minarius & ipse præses, præcipuus Henrici incentor, & alioqui vitæ solutæ, & ad voluptates proiectæ: Quem etiam monuerat Annas Burgus, nisi rogatus sponte abstineret, fore vt ex alia causa coactus iudicio non interesset: Quod à præsaga potius quàm à conscia mente profectum, asseuerat Thuanus, apud quem non modò martyres sed etiam Prophetas hæreticos habemus. At verò Annas Burgus, Ludouicus Faber, Arnoldus Ferrerius, Paulus Foxius, Eustochius Porta, & quotquot iam tum in illo Senatu Lutherana lues afflauerat, illi eodem iudice *viri probitate ac grauitate morum conspicui, acri iudicio, generoso ingenio, constantia & animi firmitate cum veteribus illis Papinianis aut Catonibus comparandi.* Prò quam mihi hæc omnia Thuani deliramenta vanissimam illius æui opinionem ad viuum exprimunt: Sic enim iactabant nouarum opinionum satores, & venditabant suos sectatores, vt dicerent per Ingenij iudicijq; imbecillitatem fieri si quis adhuc in veteri religione consisteret, ab se doctrinam, rerumq; sacrarum cognitionem stare, meram barbariem in Catholicis esse. Sed nunc lucet mi Thuane, seriùs ades qui hæc nobis post tot veritatis de hæresi triumphos occinis, ψευδώνυμον illam vt loquitur Apostolus, Gnosticorum scientiam, vera religio eademque vetus & Catholica falsitatis iam satis superque arguit. Itaque laudari à te laudatissimi illi viri quos tu malignè de primis nolunt: eamque rem vnam illis post obitum felicissimam euenisse censeo, quod eodem stylo qui hæreticos & flagitiosos omnes exornauit, sint dehonestati.

Ioannes Tilius primus Curiæ notarius, iuris, inquis, *nostri apprimè sciens, sed obnoxius, edito libello regis Francisci & Catharinæ matris reginæ autoritatem suffulcijt. In eo haud obscurè Protestantes sugillauit quasi turbarum Galliæ ac rumorum autores, Ministrosque seditionum tubicines dixit aduersus quos tanquam sectarios arma iure posse ac debere sumi censuit.* Sed bona fide dic Thuane quid tandem horum tibi non probetur? anne molestè fers à viro probo & iuris Gallici vt tute fateris scientissimo pro Rege & Regina cōtra maledicos esse scriptum? Crimini dabis Tillio quod pro sectariis nouas res indies molientibus veterem & religionem &

Galliæ

Galliæ morem non scripserit? Modestiùs Thuane, non potuit vir optimus, qui se & Catholicũ & Gallum esse meminisset, eandem quam tu scribendi viam insistere: Neq; putauit quenquam fore qui se Catholicæ matris filium diceret, & stylum in Curiæ lumina ob susceptam religionis cõtra perfidos nouatores defensionem, exerceret: aut si vnquam suspicatus est quenquam eò amentiæ progressurum, non eũ certè qui Christophoro Thuano viro optimo & auitæ religionis retinentissimo natus, primos annos Lutetiæ inter primarij templi canonicos posuisset, deinde sacris initiatus spem dedisset suis certissimam fore vt in altaris ministerio consenesceret: quanquã si eundem præsagiisset susceptis sacris ordinibus ad secundas etiam nuptias conuolaturum, spreta voti religione, non dubito quin de eo sinistri quidpiam esset auguratus. Sed ad rem qua de agebam redeo: Anne grauiter fers Thuane à Tillio hæreses nuperas, earumque administros dici subiecisse faces ijs seditionibus quibus Gallia iam tot annos ardet! nondum tibi homini perspicaci clarum est à Protestantibus Germaniam, Galliam, Angliam, aliasq; regiones omnes quas pestis illa peruasit esse perturbatas? Lutherus, Zwinglius, Muncerus, Caluinus, Beza quoties seruitia in Dominos armarunt, scire te dissimulas? quot Principum Catholicorum vrbes occuparunt, expilaruut, inflammarunt? quot sacras ædeis sacrilegis manibus solo complanarunt? quoties veterum Ecclesiæ persecutorum in Catholicos maximéque Sacerdotes immanitatem renouarunt? quot vbiq; Diuorum exuuias iam tot sæculis religiosissimè asseruatas in profluentem sparserunt? quot Regum Christianissimorũ mausolea impiè suffoderunt? quot quamque maledicis libellis quasi lituis quibusdam ac tubis bellicis in reges populos concitarunt? Et tamen hæc qui patrarunt omnia te iudice sunt innocentes; Tillius qui bellorum tubicines eos vocat, haut æquum facit? Iam non miror fuisse olim qui se philosophos dicerent, & asseuerarent sibi niuem atram videri, cœlúm consistere, terram perpetua eaque circulari motione cieri: Hæreticos etiam tam peruerso iudicio qui Cainum, Iudam, Pilatum, Sodomitas, pro sanctissimis viris haberent, Prophetas verò & Apostolos infra omnes sontes læsæque diuinæ Maiestatis reos amandarent, quãdo hominem qui Catholicus audire velit tam sinistram de viris optimis opinionem concepisse video. *S. Epiphan. de Ophitis.*

Quod

Quod si quis plura volet, in hoc genere euoluat libros 52. & 53. historiæ Thuanicæ, videbit quam illi homini frequens sit & solemne probrosis eos verbis lacerare qui regum iussa capessentes pœnas de hæreticis sumpserunt. *Eodem die quo Lutetiæ res gesta est*, inquit, *ducenti amplius Meldis in carceres coniecti sunt à Cosseto fisci procuratore, homine profligati pudoris.* Et paulò post: *Ij tanquam boues à laniis in macello mactabantur.* Tantum nō illud Virgilianum Thuanus intonat, *exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor.* It Lugdunum. *Maxima omnium laniena Lugduni edita est, Bordono quodam omni scelerum genere cooperto præcipuo duce & incentore:* Neque multò post: *Petrus Antissiodorensis homo ingenita prauitate & libidinibus probrosis infamis*: Et, *Opimiora verò cadauera ad adipem conficiendam pharmacopolis id deposcentibus concessa sunt.* Vnde autem hæc Thuane tibi perspecta? *Id ab iis* ait, *qui hæc recentibus odiis scripserunt, proditum est.* O peponem & bardum qui è tam cœnosis fontibus putidissima illa cadauera eruit, quibus monstruosum historiæ suæ corpus compaginaret! E vipera sat scio & è buffone ab empiricis vtilitatis aliquid elici, sed ab illis cadaueribus tuis opimioribus Thuane, quid tandem boni? nisi forte illud dicas quod ab Imperatore nescio quo argutè responsum ferunt, grauεolentiam hostilium cadauerum quibusuis odoribus & pigmentis esse fragrantiorem. Lib. 52. Lib. 53.

Lugduno Tholosam concito ac furenti cursu rapitur Thuanus: *Tholosæ*, inquit, *à Turrio & aliis perditæ vitæ hominibus idem factitatum.* Tholosa Rhotomagum transuolat; *Rhotomagi*, ait, *duce Maronimo facinoroso homine cædes patratæ.* Deniq; cum de diruenda Gastinæa Cruce quæ Lutetiæ in Sandionysiano vico proscripti ante aliquot annos hæretici Gastinæ bonis SC. ædificata fuerat, agit: *Seditiosi*, inquit, *& factiosi homines obsistebant, ne ea crux dirueretur.* Quid plura? æquissimus Iudex Thuanus vbique sui similis hæreticos innocentes pronunciat, Catholicis qui regis iussu arma sumpserunt infamię notam inurit. Itaque sic censeo: *Quod Iacobus Augustus Thuanus benè de hæreticis meritus, in eorum gratiam longissimum historiæ corpus produxit, ei ab iisdem statuam siue equestrem siue asinariam poni: & in eius basi vetus Ennij epitaphium tantisper immutatum transcribi: Aspicite ô ciues Liui noui imaginis formam.*

Hic vestrûm panxit maxima facta patrum.

CAPVT

CAPVT VII.

Susceptum à Thuano Bellum in Iesuitas internecinum.

QVæsiui Thuane ex omni antiquitate quem maximè tecū quasi παράλληλον componerem. Appionē Grammaticum tandem repperi, meo iudicio tibi quàm simillimum. nec tam ouum ouo quod aiunt: Vterque Grammaticus, vterque populo Dei perquam infestus, vterq; πολυβιβλογράφος, vterque gloriolæ appetentissimus, vtrique persuasum donari immortalitate quos scriptis suis insererent. Tyberius certè Appionem vocabat Cymbalum mundi, Plinius publicæ famæ tympanū: Tu quid de te tuisque scriptis sentias aut speres videris, ego sanè haut diuturniora commentariis Appionis fore auguror; nec permittet ille Deus, nisi forte sit Galliæ iratissimus, pestilentes tuos libros diutius hominum manibus teri, Quandoquidem hunc vnū scopum tibi videris ob oculos posuisse, vt improborum omnium suscepto patrocinio, maledicentissimum stylum in omnes probos exereres. Itaque iam non miror te Iesuitico sodalitio quemadmodum loqui soles, capitales inimicitias denunciasse: quos enim persentiscis Ecclesiæ Catholicæ acerrimos esse defensores, qui amare potes fautor & patronus hostium eiusdem Ecclesiæ? Quare perge operam dare gnauiter hosti generis humani Thuane: Monuit me S. Cyrillus Alexandrinus, hoc illi esse in more positum quoties veritatis doctrinam adulterare nititur, excitare in primis sycophantas qui probris impetant propugnatores veritatis Catholicæ: hos præmittit quasi fundibularios antequam explicata acie pugnet, his vt scriptura loquitur, vtitur emissariis. Vide igitur ne in te illud etiam S. Hieronymi bellè quadret, Maledictorum pānos hinc inde consuitis, & eorum carpitis vitam quorum doctrinæ resistere non valetis; Num idcirco vos non estis hæretici, si nos quidem assertione vestra crediderint peccatores, & os fœdum non habebitis si cicatricem in nostra aure potueritis monstrare? Et quanquam de tot doctissimis viris quibus abundat ille religiosus ordo quem tu tam sæpe & malidicè carpis non defuturos plerosq; putem qui tibi tuisq; calumniis respondeant. Tamen hæc etiam habe à me pauca, quæ tua scripta decurrenti notata sunt. Debeo laborem

Apolog. ad Theodos.

Epist. 68.

borem hunc & veritati quam propugno, & probitati eorum quibuscũ familiariter ante hos annos pene triginta Biturigibus sum versatus.

Ac in primis cum huius ordinis institutum refers hæc scribis: *In speciem omni ambitionis & diuitiarum suspicione à nouo ordine remota, tãtum creuit Societas, vt Principibus ipsis formidolosa esse cœperit.* *Ad annum 1565.* Quanquam cur ab ordine illo remotam tantum in speciem esse dicas suspicionem ambitionis & diuitiarum non video: cum reapse voto eieret omnem dignitatum ambitum, & ex tanto numero præstantissimorum Patrum illius Ordinis duo tãtum hactenus in Collegium Cardinalium summi Pontificis iussu sint cooptati, cum illi religiosi voti sui memores nũquam honorem illum præhensassent. Etsi non me fugit plerosque de eodem ordine Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos creatos esse, sed qui in Æthiopiam, Indiam, & Iaponios vltimos ad Apostolicum munus, certissima pericula, grauissimos labores mitterentur: Hæc tu si historicum potius quam sycophantam agere decreuisses Thuane, debueras non obuoluere silentio, iisque potius percensendis immorari quàm ministrorum Protestantium quos tu Pastores Ecclesiarum vocare soles, & Pseudoepiscoporum Anglorum nugacissimis sanctionibus enarrandis.

Nam quod Societatem illam formidolosam ais esse cœpisse Principibus, quin clarius aperuisti, quibus tandem? Anne Catholicis? atqui ea ab illis certatim euocatur, nemoque iam fere est tota Europa, qui non ei suas Academias moderandas committat, eiusque operam in maximis negotiis non deposcat. Hæretici forte? apud quos sanè si versarere, haud ægre subscriberes illis edictis quæ toties in Catholicos, ac nominatim in Iesuitas, & eos qui in seminariis excoluntur fidei Catholicæ rudimentis fulminarunt: quæ tu, vt talium es curiosus indagator, accuratè retulisti in historiam tuam; hoc etiam de tuo addens, quo significasti nihil potuisse à Senatu Anglicano iustius decerni: *Iam enim, inquis, exemplo grassante in Hybernia, ab emissariis illis turbari res cœperant.* *Lib.74.* Nam notæ sunt vestræ illæ artes, si quid in Catholicos crudelius statuatur, negare id religionis nomine fieri, neque quasi Catholicos plectere, sed vt publicæ quietis perturbatores. Sed vetus & rancidum est hoc Satanæ artificium; Iamq; pridem Nero in Christianos quasi vrbis incendiarios vanissimo colore quæsito, Diocletianus in eos-

dem quasi qui palatium Nicomediense, (quod sciebant omnes de cœlo tactum esse) inflammassent desæuiit. Et vetus est Tertulliani querimonia, *Circa Maiestatem Imperatoris infamari à Gentilibus Christianos*: Prætexebat, quod etiamnum agit, has furori suo causas Satan, quem tu tuique perbellè imitamini.

In Apol.

Sed aueo scire quid etiam comminiscare de iis quos ex sacro illo ordine quotannis ad Barbaros religionis Catholicæ prosemi-nandæ causa nauigare inaudiimus; videamus quàm fausto celeusmate nostri sæculi Apostolos prosequare, qui periodos Petri Martyris Vermilij Martinique Buceri teterrimorum apostatarum accuratissimo stylo es persecutus. Quanquã cur hęc abs te expęctem cum ea lego quæ tu vspiam habes de infami illo Iacobo Soria Caluiniano pirata cum classe Hispanica configēte, qua de sic loqueris, vt te iudice nihil ab eo tota vita gloriosius gestum sit: *Suorum*, inquis, *clade irritatus Soria, repertos in naui Hispanica Ignatium Azebedam, & Didacum Andradam occidit*. Imponis tuo more Thuane, & veritatem solita dissimulatione interuertis: Religiosi illi Patres, sexaginta de suis fratribus in Brasiliam ad Barbaros Christiana fide imbuendos deducebant: Rescuit nefarius prædo ac Sectarius Soria, neq; tam auaritia quàm crudelitate duce innocentes illas tot victimas iam Deo deuotas, & suscepta tam periculosa nauigatione Martyrij candidatas, crudelissimè mactauit, sub hoc præconio; *Excindantur ij funditus qui Papisticam religionem in Brasiliam deuehunt*. Quid tu aliam cædis illatæ causam homo versipellis allegas? Aut verò indignum tuis Annalibus esse putauisti inferere præclarum illum tot religiosorum patrum conatum, qui tam accurate Ministros hæreseos qui cum Villagnone in Franciam Antarcticam sunt profecti recensuisti; De qua sanè profectione alius erit dicendi locus.

Lib. 45.

Nunc resumo præclaram illam tuam de Soria susceptam narrationem: *Proiectis Soria in mare sigillis, calculis, rosarijs, reliquijs & huiusmodi mysticæ supellectilis instrumentis, quibus religiosi illi Patres nouitios Indos Christianæ pietatis sacris initiant.* Itáne verò sentis Thuane? credis Iesuitas nõ aliter nouellos Indiæ Christianos initiare? non eos Catechismo erudire, Catholico illo sanè, non Geneuensi tuo? non Baptismo tingere? non ministrare ex sacro Ecclesiæ ritu Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta? non discernere quæ fidei capita, quæ adiumenta pietatis? Vin tu illos

hæc

hæc docere? Sus Mineruam quod aiunt? O te insulsissimum calumniatorem, qui cum religiosos illos Patres quàm maximè lædere velis, laudas maximè! Et versiculos tuos sane inficetos ac auerso Phœbo fusos legimus *In Parricidas*, quibus illos denotas, ibi quid de rosariis, & sacris sigillis ab Ecclesia religiosè vsurpatis, sentias præ te fers; neque dissimulas quam ingratis auribus excipias, quæ religiosi illi Patres pro religione Christiana illis in oris propaganda magna cum laude perficiunt; Agnoscisne bubonis feralem cantum?

Quin procul ad fuscos gens dira remittitur Indos?
Illic mira canunt edere facta Patres.
Illic relligio per sola silentia crescit,
Nec res verbo agitur, iussit vt ille. Dei.
Consita sed granis in sacra Rosaria ramos
Fundit, & in ramis muta sigilla gerit.
His quibus inter nos perit artibus, incipit illic
Relligio. ——————

Certè apud te tuique similes Luciane noster, iam pridem omnis relligio periit: Non magnus ille Dominicus Sanctissimi Ordinis institutor religionem Catholicam perdidit, vt tu nefariè calumniaris, cum ante quadringentos annos pium Rosarij vsum afflatus diuino numine suos docuit; Ille Albigæos quorum semitam teris, quâ fusis rosario ad B. Virginem precibus, quâ concionibus sæpe profligauit. Itaque nunc video cur Iesuitas tantæ virtutis æmulos calumnieris, & tam ieiunè Patres illius Ordinisq qui Martyrium fecerũt gloriosissimum sub illo tuo archipirata laudes. Non enim debuere sancti illi viri eo stylo celebrari, quo toties hęreseos impurissimæ Ministri falsis laudibus exornati fuerant; Neque permiserunt olim Athenienses ab homine improbo bonam in Senatu sententiam dici.

Itaq; dispudet me ineptiarum tuarum Thuane, ac vereor ne cui videar insulsissima tua scommata in illum Ordinem contorta magni pendere si ad singula respondero. Quare id censeo de calumniis in Iesuitas tuis dicendum quod à S. Hieronymo de hæresibus verè pronunciatum est, eas aperuisse confutasse est, adeò vtreque sunt ab omni verisimilitudine alienæ. Leges à Iesuitis sumptuarias in Lusitania conditas esse nugaris. Catones mihi Censorios effingere videris velle. Ab iisdem negatum rebellibus in Bel- *Lib. 65.*

 gio,

gio, contra legitimo Principi datam fidem iuramentum, & in eo, verba hæc tua sunt ipsissima, *præfractè perstitiisse*; Nam tu alter Ecebolius, & quouis cothurno mutabilior, aut de iis quos Themistius notabat, vocabatq; Purpuræ non Regis amicos, fidem Christianissimo Regi datam non ægrè cuicunque nouo incubatori ac
Lib.52. Tyranno in Galliam irrumpenti dares. Ab Emundo Augerio Iesuita, inquis, persuasum Francisco Bauloni senatori Burdegalensi admodum locupleti, vt ab vxore diuerteret, illumque huius opibus subleuatum opimam in ea ciuitate scholam instituisse. Maledicendi te effrænata libido Thuane in insulsissimas nugas præcipitem rapit: Iam ab vxore diuerterat Baulo, cum Augerius quem tu criminaris, Burdegalam attigit: Et opima illa Baulonis fundatio summam duorum millium Francorum nō excessit, quod Burdegalensis senatus omnis sæpè agnouit, cum causa illa omnisque donatio ab Elia Francisci fratre discuteretur.

Lib.76. Iam verò cum de Diuo tutelari tuo Iosepho Scaligero Caluinista agis, hæc habes: *Eius Elenchum anni Iuliani confutare conatus est Christophorus Clauius Iesuita.* Conatus verò? annon etiam manifestissimæ inscitiæ arguit? nihil ego quid sentias moror, doctorum omnium sto iudicio. Clarior est ille Mathematicorum omnium nostri æui sol Clauius quàm vt aut tuæ laudationis facula egeat, aut tuis calumniis inobscuretur.

Lib.28. Et illud etiam fers ægerrimè quod Iesuita quidam in Colloquio Possiaceno, durius cum Beza aliisque Ministellis hæreticis egerit. Fatebor ingenuè non eodem quo tu lacte altus & educatus fuerat, vt tam honorificè quam tu eos appellaret: *Contumeliosa*, inquis, *multa in Protestantes effutiit, eos Vulpes, Simias, ac Monstra esse dixit.* Sperabas Thuane Iacobum Laynesium (nam id illi Iesuitæ nomen fuit) Theologorum sui æui facile principem, habiturum pro oraculis Caluinum, Bezam, Viretum & alios, quos tu Ecclesiarum Pastores vocare soles? *Contumeliosa*, inquis, *multa in Protestantes effutiit*? Persuadebis scilicet modestos aliquando fuisse hæresis ministros. At hoc de me audi, quod tu forte nescis: Laynesium hunc quem tu quasi contumeliosum hominem depingis, à Tridentina synodo fuisse modestiæ nomine litteris perquàm honorificis commendatum. Vt de eo iure dici pos-
Lib. de diuin. lection. cap. 33. sit quod de Dionysio exiguo scriptum reliquit Cassiodorus, Fuit in illo cum sapientia magna simplicitas, cum doctrina humilitas,

cum

cum facundia loquendi parcitas. Nam quod grauiter fers hæreticos ab eo vulpes, simias, monstra dici, non vereris ne te putemus in illis contumelia affici? Tamne ergo in veterum scriptis peregrinus & hospes es vt nescias, hæc apud illos vulgata esse hæreticorum elogia? aut ignoras vulpinari hæreticos & omnia dolo malo agere? Quid? quod tute Iesuitas in illo tuo satyrico carmine vulpes vocas?

Et timidæ secreta bis credere mentis ephebos
Vulpibus, atque animi pandere vota negat. *Carm. in parricidas.*

Simias verò quid ni post Tertullianum dixerit hæreticos Laynesius? aut dubitet quisquam eos pro monstris habere quos S. Gregorius Nyssenus hippocentauris aliisque id genus prodigiis similes esse voluit? Tu te ipse quid de Iesuitis habes in illa verè flebili elegia tua?

At procul harpyiæ hinc, procul hinc Ixione nati
Semiferi grauidæ nubis inane genus. &,
Non alit in gremio talia monstra suo,

Gallia, inquis. Thuano cæterisque Atheis & Hæreticis Iesuitæ mõstra sunt, non erunt Iesuitis Thuanus cæteriq; hæretici monstra? Quanquam tolerabilius Iesuitis esse debet quod à te eo loco censentur, cum audiunt quæ tu generatim in omnes ordines religiosos es furiosè debacchatus. Ecquid enim eorum meministi quæ tu non Phœbi sed Satanæ spiritu ebrius impudentissimè profudisti, & ante aliquot annos Cæsaroduni Turonũ imprimi curasti, quibus haut scio an quidquam à Caluino vel Beza vnquam pestilentius prodiit? Sic enim de Religiosis.

——————Scelera atque examina mille
Monstraque sub rigidis latitantia bardo cucullis *Fol. 27. pag. 1.*
Virtutum regnare loco, & sibi sumere nomen.
Denique prostibulum & spurca impietatis asylum
Nostra Dei tandem factum per crimina templum.

Solabatur nescio quem Phocion Atheniensis, & Nonne sentis aiebat, quàm tibi honorificum sit cum Phocione mori? Et Iesuitis gloriosum esse reor quod eodem Thuani stylo, quo religiosi cæteri probique omnes, configuntur.

CAPVT VIII.

Contumeliosè Reges Christianissimos appellat Thuanus.

Vt superior ætas bellorum ciuilium fuit fœcundissima, ita dici nō potest quot libellos famosos in Reges Christianissimos produxerit. Hos sedulus talium scrutorum inuestigator Thuanus conflasse videtur, vt ex iis quidquid acerbissimum erat & principibus viris infestissimum historię suæ insereret, & ad posteros transmitteret. Næ calumnia ipsa si loqui posset, negaret se vnquam maius ab vllo beneficium accepisse. Perfecit enim Thuanus vt quæ libellis singulis quasi quibusdam riuulis temerè effusa facilè exaruissent, nunc in immensum illum maledictorum Oceanum & bene magnum historiarum volumen transfusa, perennitatē quandam habitura videantur. Nam cui regum etiam nostrorum parcit? Ludouicus Duodecimus iure optimo dictus habitusque Patriæ parens, antiquæ Religionis si quispiam alius retinentissimus, licet difficillimis illis quibus regnauit temporibus, non deessent Thuani plurimi qui ei ad vindictam faces admouerent, suaderentq; Galliæ perpetuum cum sancta Sede diuortium; hæsit ille tamē in suscepta pietate, quam præclaro facinore immortalitati consecrauit; Rem vti gesta est ipsius Thuani verbis referam, vnaque censuram hominis inconsultissimi apponam.

Lib. 1. *Ludouicus duodecimus Iulio mortuo,* inquit, *assiduis multorum hominum atque vxoris in primis imperiosæ fœminæ querelis victus, Pisano Concilio renunciauit, & vt Leoni Decimo gratificaretur, Lateranensi subscripsit*: hæc ille, quibus profectò religiosi Principis virtutem nullo vnquam tempore intermorituram imprudens commendauit. Quid enim laudabilius dici potuit quàm Christianissimum Regem, vt sedi Apostolicæ morem gereret, de causa sua remisisse plurimùm, Ecclesiæ vniuersæ mentem Concilio Generali testatam approbasse, submouisse à se Schismaticos prauorum consiliorum authores? Sed Thuani censuram nunc audiamus: *Consultiùs multorum iudicio facturus, si in laudabili corrigendæ Ecclesiasticæ disciplinæ proposito perseuerasset.* Nimirūm huius grauissimi Censoris calculo, Conciliabuli Pisani contra ius fasque coacti authoritate,

tate,

tate, corrigi debuerat potius Ecclesiastica disciplina quàm Lateranensis Concilij secundum Leges & sacra Maiorum instituta decreto. Vide quæso Thuane, quò ferarur deniq; animus odio præceps, vt cum se oculatissimum esse putet, in clarissima tamen luce cæcutiat, & puerilem in modum de rebus apertissimis balbutiat. Et verò ex hac regis sapientissimi cũ Ecclesia Catholica summoq; Pontifice consensione, grauis autor quid tandem accidisse censet? *Hæ*, inquit, *inclinantis imperij nostri causæ, & aduersæ simul fortunæ Ludouici.* Quam penitus acu tetigit sollerti vir ingenio Thuanus veram calamitatum Galliæ originem! quis vnquam mortalium eo πολιτικώτερος? Sic Gentiles olim censuerunt factam Imperij Romani inclinationem Christiana Religione toto orbe suscepta: Gotthos, Vandalos, Herulos aliasq; barbaras gentes Romam vsq; penetrasse, quod vetus Idolorum cultus, Euangelio Christi cessisset. Responderunt hisce querimonijs non magno labore S. Cyprianus & S. Augustinus duo Africæ lumina, Orosius Hispanus, alijq; plures: neq; valde mirati sunt hac fuisse opinione homines Christianæ lucis & veritatis exortes. Quid si hodie reuiuiscant, & supremi Senatus præsidem qui se Catholicum dicat audiant referētem Imperij Gallicani inclinationem in Christianissimi Regis cum sancta Sede consensionem? abibunt credo nō ægrè omnes in S. Cypriani sententiam, Multis natare fidem in labris quum in corde nulla sit aut perexigua. *Lib. 1.*

Iam verò quantum laborat Thanus vt Christianissimum Principem Lutheranæ impietatis assertorem nobis exhibeat; vel antequam ex inferis Lutherus erupisset? Memorat enim à Ludouico duodecimo cusum nummum aureum, quo effigiem suam ex vna parte expressit cum hoc elogio: *Perdam Babylonis nomen.* Miror etiam ab insigni illo mendaciorum fabro non fuisse additum in auersa nummi parte aliquam de Antichristo Epigraphen. Si quis Rigaltius, aut Leschasserius, aut quis alius è Thuani conuiuis nummum quēpiam huis formæ scienter exprimeret, profectò is & Thuano & Magdeburgensibus esset multò iucundissimus: neque dubito quin eum quasi Palladium quoddam cœlo delapsum in sua clinodia, mox essent relaturi. Sed vendita quæso pueris has nuces Thuane. Sycophantiæ enim illæ tuæ non tam nocent quàm nocendi voluntatem præ se ferunt. *Lib. 1.*

Eiusdem sapientiæ illud est quod alio loco Thuanus asseuerat, *Lib. 1.*

 rat,

rat, *Eidem Ludouico Regi aduersa omnia euenisse quod Alexandrum Sextum Pontificem coluisset.* Nam si hoc vult Thuanus, regem prauè factorum cum Alexandro Societatem iniisse, insignem facit & regi optimo & nomini Gallicano iniuriam: Sin illud asserit, non debuisse Christianissimum Principem primogenitum Ecclesiæ filium, parentem in Christo suum, qualemcumque tandem, sed tamen Christi vices in terris gerentem colere, hoc verò nimis stolidè desipere est, & omnem vnà cum iudicio perdidisse memoriam verborum Christi iubentis exertè morem geri etiam indignis hæredibus ac successoribus Moysi. Nunquam enim feret censor ille diuinæ prouidentiæ oculus, Ecclesiæ inuigilans, vt pastore supremo careamus, qui licet agat male, bene tamen docere desinat, cuique eo nomine honor in terris secundum Deum maximus haberi debeat. Donatistarum hic olim error proscriptus fuit. Tum Wicleffi, cadere Principes siue Ecclesiasticos siue sæculares omni dignitate, ex quo labe aliqua lethali se commacularint: censemus aliud qui eundem cũ Ecclesia Catholica sensum habemus, Thuanus si aliud sentit transeat sanè in Donati & Wicleffi partem.

Francisci primi inter præclara Thuani apophthegmata meminimus, cum de Petro Castellano ageremus.

Venio ad Henricum Secundum, cuius Orgia vt Thuanus loquitur, Deus bone, qua styli acerbitate idem exagitat! Catonem dicas, aut verò è priscis Ecclesiæ patribus Basilium vel Gregorium; quoties in amores Henrici excurrit, & infinitam illam potentiam Dianæ Valentinæ quam aliquando strigem nominat. Quod si eum virtutis amor infamis illius vitij osorem facit, faueo sanè non illubens: sed multa sunt quæ me ab hac opinione auocant. Cur enim inconcessos illos, fateor, amores sed furtiuos tamen in Christianissimo Rege adeò seuerè carpit, & vix vna alteraue vocula incestuosas Henrici octaui regis Angliæ nuptias leuiter perstringit? an is forte eò amicior Thuano, quò Pontifici Romano inimicior? Hæc si te causa Palponem grauissimorum flagitiorum, Thuane reddidit, actum est, quem ego hominem vel monendum vel refellendum sumpsi? sed à principibus abscedo. Nec enim eos probo, quibus voluptas nulla maior est quàm bene tecta Principum vitia, malè in vulgus prodere: Qua vna haut scio an vlla sit planior ad rebellionem via: vt iam miretur nemo si eam ex omnibus maximè insistant hæretici, quibus ad proseminanda

nanda sua consilia, nulla mitior meliorq; tempestas est, adeo bello vigent, pace languent.

Age ergo Thuane cui sæpenumero deliciæ Henrici stomachum mouerunt, quid est quod neque Lutheri ex Monacho cum nonna sacrilegas nuptias vnquam tibi displicuisse ostendis? nec in stigmatici Caluini famosa adulteria declamasti vnquam! neq; voculam doloris vllam Theodori Bezæ peruersi amores abs te expresserunt? nesciuisti scilicet illa quæ spurcissimus homo in Candidam & Audebertum cantauit; aut quid à Senatu in eundem hoc ipso nomine decretum fuisset: hæc tu homo castissimus modestissimusq; non es ausus attingere: his sordibus forte chartas tuas illinire noluisti. Laudo pudorem grauissimi Senatoris: sed tamen vnde illa styli tui inæqualitas? Effuderat olim Petrus Bembus adolescens versus fescenninos: Tu maligno ingenio, *Domini cui seruiebat mores id tulisse*, addis; Vt Leoni decimo cui iam æui maturus ab Epistolis fuit, notam infamiæ inuras: Ab eadem peruersitate animi & impotentia profectum illud est quod alio loco tam confidenter cõmemoras, vt improbi Lenonis partes in eo negocio sustinuisse videaris. *Dum adhuc in conclaui essent Cardinales*, inquis, *interceptæ sunt quorundam qui Cardinalibus aderant ad catamitos suos scribentium literæ, quibus absentiæ desiderium adeò flagitiosis verbis testabantur, vt inde coniecturam multi fecerint, obscœnum aliquem Pontificem ex illo conclaui prodit urum, ex quo tam pudendæ literæ emanassent.* O grauem historicum, & veteribus illis Thucydidi, Xenophonti, Liuio, Cæsari accensendum! Sed de hominis leuitate dicam postea; Nunc enim queri libet de hoc nouo Lamiarum genere, quibus in peruidendis Catholicorum vitijs tam perspicaces oculi sunt, In grauissimis magnifestissimisq; hæreticorum flagitijs tam hebetes & obtusi. Sed dixisse Aristotelem memini, Matres de librûm suorum pulchritudine vel deformitate minus syncerè quàm obstetrices iudicare quod summus ille matrum in filios amor rationi sæpe imponat; Quos Thuanus & miratur & dissuauiatur quotidie, quorum lectione mirificè capitatur, quid mirer si in eorum vitijs recognoscendis talpâ sit cæcior, Aquila perspicacior in eorum quos odit labeculis peruidendis? Quanquam quæ tandem homini causa subesse potuit, cur in Henrici Secundi Regis optimi & Christianissimi mores tam grauiter animaduerteret? Dicam quod sentio. Obseruaui eum

Lib. 3.

Lib. 5.

nusquam

Lib. 16. nusquam grauius Regi Henrico succensuisse quàm in causa Annæ Burgi, quem ille infamem hæresi, vltimo supplicio affici mandauit: Animaduerti quandiu in viuis idem Henricus fuit, semper lege actum esse in Hæreticos, neque aliud gratia aut minis à rege constantissimo impetrari potuisse: Itaque subdubitare apud me occœpi ne forte ea res grauius Thuanum pupugisset; qui vt est molli animo, nihil minus optat quàm vt seuerius agatur cum apostatis, templorum expilatoribus, sacrarum virginum raptoribus, suffossoribus sacrorum tumulorum, & id genus monstris quæ ex Lutheri Lerna primum prodiere, tum in cœnoso Lemanni lacu præclarè adoleuerunt. Malùm quod huic nouo Aristidi, aut Cassio, quem, reorum scopulum, ob seueritatem nominabant, primæ in Senatu non sunt delatæ.

At fortè in Catharinam Medicæam minus intemperans fuit? Imo verò q̃d addi potest ad cõuicia quæ in illam passim euomuit? Multi profectò pœnas luerunt inconsideratæ scriptionis, qui præ Thuano peccarant leuissimè. Prouoco ad eius historiam vbi hęc

Lib. 1. de nuptijs Henrici & Catharinæ: *Ferunt,* inquit, *Clementem implacabili tum in Gallos odio ardentem, vix post consummatas nuptias sibi adhuc credentem dixisse, sibi abundè pœnarum de Gallis sumptum esse; cum prouideret fore vt ex illa face (ita Catharinam patruelis filiam vocabat) magnum incendium olim in Gallia exoriretur.* Itaq; vt aliquando Deo irato feræ è lustris, è terræ visceribus flammæ, lapidosæ grandines è nubibus, ex aëre venti pestilentes in sceleratos homines eruperunt, sic Thuani iudicio, diuinum numen Gallis vehementer infensum familiam illam Medicæam Regno Galliæ quasi equum quendam Seianum, aut Tholosanum aurum, aut verò Helenam fatalem dedit, Romano Pontifice in regni odium funestissimarum pronubo & conciliatore nuptiarum. Ac ne va-

Lib. 16. num Clementis augurium quisquam fuisse putet, quæ non de Catharina comminiscitur, maximè vbi viro mortuo, nondum maturis regno liberis, rerum omnium habenas capessiuit? Brunechildem alteram moribus, aut etiam veterem illam Medeam putes. Quæ omnia si quis scire velit vnde Thuanus hauserit, sciat turbulentis illis temporibus quibus Franciscus Secundus & Carolus Nonus imperarũt, cum ægerrimè ferrent hæretici constantissimam principem optimorum virorum Consilio armisque adiutam,

adiutam, diligentius anquirere in nouarum opinionum satores, emisisse in lucem libellum quendam longè omnium famosissimum, qui cum *Beatæ Catharinæ vitam* titulo præferret, re tamen ipsa perpetuam satyram continebat, quâ scelerum omne genus Catharinæ Reginæ affingebat. Exscripsit grauem illum libellum Thuanus, vel certè ea excerpsit quibus existimationem Christianissimæ Principis se posse maximè lædere sperauit. Non vacat hîc omnia referre, vnicum attingam. *Cosmus Rugerius Florentinus quo autore Mola icunculam æream magicam in caput Regis Caroli noni fabricarat, reginæ Catharinæ fauore, quæ illius & huiusmodi hominum opera perfamiliariter vtebatur, periculo exemptus est.* Non est hæc Thuanæ historici vt reris in scribendo libertas, sed hominis aut maleuoli aut imprudẽtis in effutiendis calumnijs effrænis libido. *Ad annum 1574.*

Iam verò qui Henricum & Catharinam tam indignè habuit expectas dum eorum liberis parcat? maximè constãtissimis auitæ religionis propugnatoribus, & hostibus nouitatis hæreticæ capitalissimis? Nam vbi de Francisco Secundo agit, quàm callidè optimum Principem dedecorat? *Sparsum rumorem eum elephantiasi laborasse*, quod primò quidem impudens iuxtà ac malignum commentum vocat, mox omnia congerit quibus rem verosimilem reddat; *Repertos qui in secretis mandatis haberent vt pueros infra sex annos per regiones Ligeri circumpositas (nam tum Rex Blœsis agebat) matrum gremio auulsos tanquam victimas ad certam necem raperent, vt scilicet calenti eorum sanguine Rex in haustu ac balneo, ad vitiosum sanguineæ massæ habitum corrigendum vteretur*: Sic enim præscribere Medicos: omitto cætera quibus confirmat affectum Francisco fuisse corpus & in illam fœdam luem iam à conceptu dispositum. Quid hoc scriptore facias, cui vnum id propositum esse videtur, vt maledica sepia veritatem obscuret, ancilletur hæresi, posterisq; persuadeat ab irato Deo Franciscum quasi Oziam alterum percussum esse tam fœda tabe, quod innocentes scilicet Lutheri Caluiniq; asseclas grauius habuisset? *Lib. 16.*

De Carolo nono Francisci fratre quid attinet dicere? non inuênit Thuanus verba quibus suum in illum furorem satis exprimeret, maximè vbi deuenit ad ea denarranda, quæ Lutetiæ Sanbartholomæa die gesta sunt: Non iam cuniculis agit, sed disertè, Regis factum execratur, Consilium illud sanguinarium vocat, perfidum Regem nominat, negat ex omni antiquitate par *Lib. 52. Lib. 53.*

flagitium reperiri posse; *Multi*, inquit, *rabiem illam Regi & Galliæ in posterum magno constituram augurabantur.* Potuitne Thuanus impotentis animi rabiem planiùs aperire? Subdit. *Ne quid ad summam insaniam deesset, æmulatione veterum Imperatorum, laus in tam detestando facinore quæsita. Nummi aurei & argentei cusi, regiq; oblati; In quorum antica parte Regis in throno sedentis effigies depicta erat cum inscriptione, Virtus in rebelles: In postica, duæ columnæ quod erat regis insigne cum inscriptione, Pietas excitauit Iustitiam: Alij præterea quibus hæc Epigraphe inerat, Carolus Nonus rebellium domitor.* Non ergo placent hi nummi Thuano, mauult illos versare manibus qui ex hæreticorum prodeunt officinis: Defer ad eum quæso aliquem de illis quos Neapoli sub Ludouico duodecimo cusos referebat cum illa iucundissima inscriptione, Perdam Babylonis nomen; quam sanè vt est rei antiquariæ scientissimus nullo negocio explicabit: Aut aliquem cedo ex ijs qui ante annos quadraginta è Sandionysiano oppido cum id in potestate esset Ludouici Condæi prodierunt, cum illa rebellionis indice Epigraphe, Ludouicus XIII. Rex Francorum: At certe profer aliquem ex ijs quos nuper Germania misit ad nos eo fabrefactos artificio, vt cum Pontificem tiara insignem aut Cardinalem certo situ referant, inuerso spectrum quodpiam aut monstrum repræsentent. Hoc Thuanus, si bene hominem è scriptis noui longè anteferet omnibus aureis argenteisq; nummis Cæsarum adeoq; Romuli ipsius vel Thesei.

CAPVT IX.

Conuicia in Romanos Pontifices totâ passim historiâ à Thuano sparsa.

SI quâ se notâ prodidit Thuanus malè de Catholica religione sentire, hac opinor maximè, quod neminem de Romanis Pontificibus non contumeliosiùs appellauit, hauriens teemrè ac maleuolè è cœnosis hæreticorum gurgustijs, quæcunq; furor & vinolentia vnquam suggesserunt: nullamque non arripuit occasionem eos conuiciis lacessendi,

vt quos re manuque non poterat, saltem virulento calamo laceraret Ac audisset vtinam S. Prosperum bene monentem,

Si Pastorem ouium lædere vis, Lupus es.

induat ille se licet ouina pelle, auitæ religionis dicat se quàm volet retinentem, nemo sanus adduci poterit vt credat in eius pectore quidquam inesse Catholici hominis qui historiam penè videtur eo solum fine texuisse, vt Bibliotheca calumniarum, seu potius armamentarium quoddam esset ex quo nefarij Christianæ religionis hostes omne telorum ac maledictorum genus in summum Ecclesiæ caput peterent.

Quoties de Alexandro Sexto sermo illi incidit, (qui sanè persæpè intempestiuus est, nisi suem in luto volutari deceret) toties filium illi fuisse Cæsarem Borgiam, filiam Lucretiam commeminit: Spurcissimi Chami soboles paterno dedecore sibi gloriam parari sperat. Lib. 1.

Leonem verò decimum quibus criminationum molibus tentat obruere! *Peccatum*, inquit, *in sacris muneribus dispensandis admissum, Leo mox longè grauiore cumulauit: Nam cum alioqui ad omnem licentiam sponte sua ferretur, &c.* & quæ in hanc rem plurima Thuanus omnes Calumniæ habenas permittens. Nusquã enim facundior eius est stylus, quàm cum canino more Pontifices arrodit; adeò naturæ vitio fieri assolet, vt quod maximè alijs persuasum cupimus, in id omnes ingenij neruos contendamus. Assignat ibidem Thuanus Leoni ministros, *qui per lustra & popinas*, ait, *cottidie sine pudore in aleæ lusum vsusque turpissimos potestatem extrahendi animas functorum exigne expiatorio promittentes, pecuniam à credulis emunctam profundebant*: itaque hic affuisse Lutherum, *qui talium conciones*, inquit, *refutauit*. Itáne verò Thuane? Lutherus ergo te Iudice doctrinam Ecclesiæ de extrahendis animabus ex igne expiatorio refutauit? Bonum factum: quis iam se Luthero dubitet cõmittere, hoc Thuani grauissimo fretus iudicio? ô cœnum! ô tenebræ! tunc etiam posthæc inter Catholicos mutire vel hiscere audeas? Vide quo te conceptum in Romanum Pontificem odium imprudentem rapuerit. Lutherus primò in quæstuarias indulgentias seu potius in fœdos abusus inuectus est, tamen agnita Ecclesiæ potestate in Indulgentijs diuidundis ac clargiendis, Tum vt est ingenium su- Lib. 1.

perborum insolens, ipsasmet Indulgentias conuellere tentauit. Tu breui rerum compendio sed maximo veritatis honorisque tui dispendio refutatas, ais, à Luthero conciones eorum qui Indulgentias nomine Pontificio largiebantur. Erras Thuane, erras si veritatem refutari posse putas, premitur à mendacio interdum, opprimitur nunquam; Vt Solem aliquando nubes offuscant, qui tamen vbi ad hypsoma suum deuenit, atque vt scriptura loquitur, *In virtute sua est*, tum facillimè eas dispellit.

Audiamus iam de Paulo tertio quid Thuanus sentiat. *Is sobrietate, vultus grauitate, doctrina ac postremò corpusculi affectata imbecillitate profundam ambitionem diu celauerat, quam mox adepta dignitate, manifestam omnibus fecit.* Quanquam si Thuanus historici potius quàm rabulæ vel conuiciatoris partes sustinere maluisset, sepono nunc Pontificiam dignitatem, non illud è triuio maledictum temere in Paulum torsisset, sed expressisset planiùs distinctiusque, quibus se vel prior illa dissimulatio argumentis, vel quibus indicijs posterior hæc & *profunda* hominis, vt loquitur, *ambitio* prodiderit. Nam si vt vetè olim à Romano Senatore dictum est, accusare sufficit vt quis condemnetur, ecquis erit innocens? Sic tui illi maiores Thuane, Christum nonnunquam superbiæ insimulabant, cum ab eo tamen vitio abesset longissimè. Sed ita sumus natura comparati, vt quo animi morbo laboramus maximè, eum in cæteris omnibus à nobis certissimè depræhendi existimemus. Itaque velim te excutias, & conscientiam illam tuam, vt ijsdem quibus tu verbis vtar, interroges, ecquid te transuersum agat præfidens animus qui tibi quasi omnium hominum sapientissimo censuram deferat, eorum etiam quos audire Christi loco omnes addecet.

Venio ad Iulium tertium, quo homine sceleratius nihil fingi potest, si Thuano impudentissimè suo more mentienti, fides adhibeatur. Refert Origenes Hebræos historiam Susannæ apud Danielem nō euulgasse, ne si populus sacerdotum scelus resciret, vilesceret aliquando dignitas sacerdotalis. Inuentus est homo post homines natos audacissimus, qui se & Catholicum esse profiteretur, & Patrem Christianæ plebis, vt or S. Augustini phrasi, stylo maledico laceraret, quo alienis à religione Catholica eū de-

ridendum

ridendum propinaret: Denique quidquid superioris æui effrænis licentia & adnatum partiariis Lutheri & Caluini ingenium summo Dei in terris Sacerdoti maledicēdi excogitauit, id omne quasi cœlo missum oraculum exciperet, suamque in historiam imprudentius nescio an impudentius transfunderet. Quid pluribus? quem Thuanus probris fœdissimis in Petri sedem ascendentem excepit, eundem ad finem vsq; vitæ furenter est persecutus. *Obiit*, *Lib. 15*
inquit, *Iulius Tertius intemperantia vitæ magis quàm senio effœtus: Totum se voluptatibus mancipauerat.* Sed anne hoc est, quod de Nerone ferunt, qui cum perditissimè & impurissimè viueret, castum esse posse neminem censebat. *Ostendunt*, aiebat S. Hieronymus de hæreticis agens, *quàm castè viuant, qui bene de aliis sentire aut loqui nequeunt:* Quod à S. Gregorio Nazianzeno B. Hieronymi magistro de iisdem dictum aliquando commemini,

Σφῆς ἀτασθαλίης διαμετρέουσιν ἅπαντας.

Thuanus, homo vt vulgò ferunt, planè vxorius, quique sacris ordinibus annexum continentiæ votum stimulante libidine secundis etiam nuptiis perfregit perrupitque nefariè, neque Deum timens, neque reueritus homines, quę à sectaris in S. Petri successorem sunt conficta, vt credidit non ægrè, ita obuiis manibus excepta transmisit ad posteros.

Visamus nunc Iulij successorem Marcellum Ceruinū. Etiamne hominem omnium iudicio integerrimum, & qui vix diebus duobus & viginti in illo summo rerum sacrarum fastigio sedit: Quem tantum terris fata ostendere, nec vltrà siuerunt esse, cœlo iam maturum Pontificem, maledica lingua carpet Thuanus? *Cum* *Lib. 11.*
parens eius Richardus, ait, *astrologiæ iudiciariæ scientia clarus, ei ex stellarum coniunctione summam in Ecclesia dignitatem prædixisset, licet à Cassandra Bencia matre ad nuptias inuitaretur, pertinaciter recusauit, nolle se dictitans clariorem longè fortunam quam sibi astra soluto ac cælibi portenderent, matrimonij vinculis commutare.* Sed quibus hæc autem sapiens Thuanus venditat? Vultne etiam ex vanissimis Genethliacorum placitis laureolam captare? vix adducor vt credam; sed quod in famosis hæreticorum libellis de Ceruino repperit, homo religiosus prætermittendum non putauit. Quanquam id ab eo peccatum est grauiter, quod Marcellum vnà & *virum rara* *Lib. 11.*
eruditione, prudentia sanctitate vitæ antiquis comparandum, denique assiduum in sacræ scripturæ & Patrum lectione asseuerat, & eundem ta-

men nobis exhibet nugacissimis astrologorum, aut verius circulatorum fabulis addictissimum, quas eruditio cõfutat facile, spernit prudentia, vitæ sanctitas, Patrum veterum monimenta, Scripturæ denique sacrosancta veritas detestantur. Mendacem, aiebat ille, oportet esse memorem; verùm pestilentissima Inuidiæ soboles calumnia nihil pensi habet quàm consentanea dicat, dum lædat quàm potest grauissimè.

Lib. 11. Gradum facio ad Paulum Quartum; Is *studio quietioris vitæ*, vt fatetur Thuanus, *totum se pietati dederat & literis, asciuerat q; plerosq; viros optimos, qui religiosis votis ante aram Vaticanam nuncupatis, approbante Clemente Septimo, Theatinorum ordinis fundamenta iecerant. Virtus illum sua inde extractum coëgerat varias obire legationes Neapolim, in Angliam, Hispaniamque: quibus omnibus cum summa laude perfunctus, tandem ad Pontificatum euectus est.* Et tamen repperit in

Lib. 11. eo Momus noster quod carperet? quietem ab eo in speciem affectatam esse; Nam καρδιογνώστης hic nouus penitissimos animi recessus videt, & quo quidque fine fiat nouit. Tum de eodem Paulo; *Magna ac sumptuosa admodum pompa coronam à Ioanne Bellaio Episcopo Ostiensi sumpsit, & ita seueritas illa ex qua emendationem in Ecclesiastica disciplina quidam sperabant, plerique verebantur, citò in superbiam vertit.* Profectò Thuane si tu cum sententiam in senatu dicis tam facilè & ex leuicula coniectura de capite pronuncias, quis prę tuo non malit cuiusuis etiam furiosissimi hominis stare iudicio? Quanquam te amici purgant tui, & stylum quidem te fatentur acriorem interdum exerere, etiam in optimos quosque, at certè in sententia dicenda valdè incogitantem & planè infantem esse aiũt: vt vehementer non ita pridem sint demirati, quid tibi venerit in mentem aspirare ad principem senatus gradum, quem omnes vix imo subsellio dignum iudicabant; Nosti Homericum illud credo

παῦροι γάρ τοι παῖδες ὅμοιοι πατρὶ πέλονται,

itaque ne parentem tuum Christophorum Thuanum recogita, à quo nulla in te transfusa seu pietatis seu sapientiæ hæreditas est. Dementissimi fastus est ita se nescire, vt cum minimis vix æquere velis omnibus anteferri. Sed hæc aliâs forte tecum pluribus.

Neque debuit Pius Quartus indonatus abire: Liberalior est Thuanus quàm vt vllum Pontificem maximum non aliquo maledicentię prosequatur elogio. Itaque & hunc sic ab Inauguratio-

Lib. 16. ne ipsa commendat suo more: *Mox mutauit, quiq; hactenus huma-*

num,

nus patiens, munificus, gratus, mitis ac pecuniæ minimè cupidus habitus fuerat, alios mores induisse repente visus est: hæc ille, nec quidquam profert quo tam sinistrum de Pio iudicium suum firmet. Itaque licet natantibus oculis historiam Thuani lecturi sint Magdeburgenses & Geneuenses, tamen non dubito quin ij quibus in pectore Christiani salis mica est, hominis temeritatem, vel qui modestissimè sentient, leuitatem vehemẽter sint demiraturi, qui tantũ sibi arrogarit, vt crediderit quidquid in summum Ecclesiæ pastorem effudisset, pro indubitato ab omnibus excipiendum; Cui, suspecta iam tot argumentis fides, obtinuit apud probos omnes, vt iurato etiam in tali causa credi non debeat.

Addam denique grauissimum eiusdem de Pio Quinto iudicium, cuius viri sanctitatem Roma suspexit, cum in eo cerneret, viuas expressasque imagines Leonis & Gregorij, vtriusque verè Magni Pontificis: tanta morum sanctimonia, oris grauitas, studium disciplinæ Christianæ, vt optimi rerum æstimatores acceptã ei secũdum Deum retulerint insignem illam anno septuagesimo primo superioris sæculi reportatã de Turcis victoriam apud Naupactum. Vidit tamẽ in eo Thuanus, adeò Lynceus est, quod alios omnes fugit: Vbique, inquit, *gratitudinis laudem affectauit*: Hoc verò est ingenium eorũ qui rumusculos plebis aucupantur, qualem Thuanum ex scriptis eius coniicere licet, vt alios præter se omnes hac animi ægritudine laborare credant. Sed anne quod sequitur, huius sinistri iudicij in Thuano fontem aperit? *Iurisdictionem inquisitor fidei*, inquit, *& ipse seuerißimè exercuit, & per alios cum magna nec toleranda aliorum vexatione exercendam curauit*. Hinc illæ lacrymæ. Anquirebat Pius sapientissimè & seuerissimè in bellulos amiculos tuos Thuane, si qui forte Romam pestifera doctrina inficere tentarent; Mouit ea res tibi stomachum, non potuisti hominem licet omnibus numeris absolutum, non aliquo maleuolentiæ tuæ telo petere. Nec dum Thuani de Gregorio Decimo tertio, Syxto Quinto, Clemente Octauo, aliisque à Pio Quinto Pontificibus licuit videre: Erit vt spero alius, qui audacis hominis temerariam censuram qua decet seueritate castigabit. *Lib. 37.*

* * *

CAPVT

CAPVT X.

Implacabile Thuani odium in Sedem Romanam.

NEque verò Thuanus contentus singulares Pontifices stylo maledico petere, omnem occasionem captat qua generatim vniuersos si possit dignitate & authoritate spoliet. Et, prò superûm fidem! quàm insulsè & quantum homini impotentis animi furor fucum fecit! Anglia sub Henrico Octauo suaue Christi iugum excussit, seque Ecclesię Catholicæ primùm nefario schismate, tum fœdissima hæresi subtraxit: Monere vxorium Principem Pontifices & sapientissimi & patientissimi, videret ne dum libidini indulget suæ, Christianissimam insulam in lustrum hæreseos secum traheret. Impurum hominem fascinarant carnis voluptates, excœcarant oculos, aures obstruxerant, eripuerant mentem: post diuturnas minas tandem ad censuram Ecclesiasticam ventum est. Quid grauissimus iudex Thuanus ad hæc? *Si Henricus æquiores & prudentiores Pontifices nactus esset*, inquit, *haut eò res progressa esset;* & sanè incommodè prorsus accidit quod tu in Petri Cathedra Thuane, eo æuo, hac sapientia prudentiaq; præditus non sedisti. Profectò enim vt es homo sollers ac ingeniosus, rationem iniisses aliquam qua contra sacrosanctas Leges Matrimonij à Deo institutas, contra iura omnia, Henricus Annam Bolenam, filiam, vt aiunt, suam repudiata Catharina Austriaca coniuge, qua cum plures annos concordissimè vixerat, vxorem duceret: excogitasses modum aliquem cunctis hactenus ignotum, quo rex auarissimus impune octodecim Episcopatuum (nam innumera alia sacerdotia perquàm opima hîc non commemoro) bona fisco suo addicere, & coniugatis etiam fruenda condonare posset: Itaque serius omnino quàm fuit è re Christiana publica natus es Thuane, præcipitarunt sententiam Pontifices Romani cum tu nondum Ecclesiæ censuram tibi vindicasses: Itaque subtracta est Ecclesiæ Anglia. Quis hoc nouo Salomone litium nodos facilius feliciusque dissoluat? quam plane ad fontem mali digitum intendit? certissimamq; Anglicanæ rebellionis causam indicauit.

Lib. 9.

Lib. 3. Pari fide sapientiaque Hermanni quondam Coloniensis Archie-

chiepiſcopi cauſam deploratiſſimam ſuſcipit contra Pontificem Romanum; quod opinor non tam præſtitit hominis Germani gratia, quàm vt anſam aliquam arriperet, teſtificandæ ſuæ in Pontificem maleuolentiæ. Nam ſi apud illum plus ratio quàm liuor valuiſſet, quid tandem habuiſſet ſcribere in Pontificium decretũ, quo, inquinatus Lutherana labe Colonienſis Hermannus, Eccleſiaſtica dignitate ſpoliabatur? quaſi nouum ſit aut inſolens, hæreticũ qui ſe iam ſua improbitate abdicarit, Eccleſiaſtico mucrone ab Eccleſiaſtico cœtu ſemouere. Quis hoc ex Petri ſucceſſoribus non fecit hactenus? quis factum, modo probus & qui ſe Eccleſiæ filium meminiſſet, non probauit? Niſi forte Lutherus Thuano nondum hæreticus eſt; aut ei retractare ea placent quæ in OEcumenica ſynodo Tridentina ſunt ſancita. De qua quid me referre attinet, quàm contemptim vbicunq; ſe obtulerit occaſio loquatur? cerdonum aut lanionum, vel imperitæ ac tumultuantis plebeculæ diceres pſephiſmata. Sic olim Sabinus Heracleenſis πνευματομάχος, aiebat, Conciliũ Nicæç primo habitum, ex hominum imperitorum fece coaluiſſe; quò tamen vt veriſſimè à Mario Victorino dictum eſt conuenerant vniuerſi orbis lumina. Et haut ſcio tamen an vlla poſt Apoſtolorum æuum habita ſynodus ſcientiores rerum ſacrarum viros cõgregatos viderit, quàm ea cui tam parum Thuanus defert, homo ſcilicet rerum omnium intelligentiſſimus: Prouidentiæ nimirum diuinæ hoc eſt, ait S. Gregorius Magnus, vt quò propius ab orbis fine abſumus, plures Eccleſiæ ſuæ doctioreſq; ſummittat viros qui denſiſſimam callidarum hæreſeon caliginem diſſipent ac diſpellant. Et mihi ſubolet Thuani in ſanctam ſedem maleuolentiam, quod vſpiam apud eum lego, *Summi Pontificis ſuaſu Carolum Quintum ſententiam mutaſſe, & arma in Turcam parata, vertiſſe in Germanos, peßimo ſed ſolenni,* inquit, *& vſitato Pontificibus Romanis conſilio, qui eos è Chriſtianis qui nimiam ipſorum potentiam in dubium vocant, capitaliori odio quàm ipſos Chriſtiani nominis hoſtes ſemper hactenus ſunt perſecuti.* Non diffiteor hæc Thuanum dicere à Proteſtantibus iactata; Sed proteſtetur ipſe dum volet ſynceram ſuam in hiſtoria ſcribenda mentem, ſat nota eſt ipſius phraſis, vt quod maximè vult à ſe dictum, id hæreticorum ſpecioſo ſcilicet velet nomine. Quod ſi aliter ac ſcripſit, ſenſit Thuanus, quin vaniſſimas illas criminationes vera reſponſione re-

Socrat. lib. 1. cap. 8.

Lib. 1. aduerſ. Arrium.

Lib. 2.

ne retudit? An homini in veterum historiis exercitatissimo nihil suppetebat, quod contra maleuolos illos primæ sedis calumniatores impudentissimos diceret? Quasi cuiquā ignota sint, quæ Pontificum Maximorū extent amoris & beneuolentiæ erga Germanos monimenta? Aut verò quemquā fugiat quoties & quales viri à sede Apostolica missi ad eos sint religionis Catholicæ vel propagandæ vel propugnādæ causa? Quot tota passim Germania, adeoque in ipsis Romæ visceribus Germanicæ iuuētutis seminaria eorundem Pontificum munificentia sint instituta? Quod si bona fide historiam sui tēporis Thuanus texere voluisset, ecquid improborum rumusculos in Iulium Tertium collegisset, ac non potius nobilissimum illud ab eo Romæ ad S. Apollinaris stabilitum nationis Germanicæ seminarium commemorasset? tam fuisset vecors & amens, vt Protestātibus de Romano Pontifice fidem adhibendam censeret? ac non potius anquirendum quot & quibus Germaniæ locis à Gregorio Decimotertio Pontifice Maximo aliisq; fundata fuerint Collegia eidem iuuentuti instituendæ, quasi firmissima patritæ religionis erecta propugnacula, contra furentes ac insanos Nouatorum assultus? Hæc tam oscitanter, ne dicam mala fide prætermissi ab eo qui hæreticorum scholas percurrit omnes, ipsosque adeò hæreseos magistros laudibus effert, quantis

Lib. 52. potest maximis, qui nouarum opinionum alumnos publicis Bernatum sumptibus ad præclara illa nouæ Theologiæ studia missos, & in ipso pene vestibulo Lugduni à Catholicis oppressos tragicè deplorat, hæc inquam quis ferat? aut ab animo in primam sedem maleuolo profecta esse dubitet? Nam quò tandem spectant isthæc de Capitali Pontificum in Germanos odio? nisi vt quasi vnguem, quod aiunt, in vlcere figat, & nobilissimæ optimæque nationis animos penitus à sancta sede alienet. Bellissimè hostis humani generis officium facis Thuane,

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,

nec est quod malle te ostendas quam vt rursus Henriciani Romam infestis armis petant, & Guelfæ ac Gibellini res in Italia nouas moliantur. At aberras mihi crede tota diametro à pietatis sco-

Lib. 2. epist. 63. po: Nihil enim dolentius deplorauit olim sanctus Theodor' Studita, quàm quod se Græci à Romano Pontifice Ecclesiæ capite separassent: Nihil grauius imperio suo regnoque Galliæ timuit Carolus

rolus

rolus ille Magnus quàm ne quo casu ab vnione sedis Apostolicæ vnquam auellerentur. Itaque & ipse nullos non vltrò suscepit labores, vt suam in eam obseruantiam testaretur, & quater Romam profectus est, vt Romanos Pontifices à Longobardorum iniuriis vindicaret, & hæc suo testamento cauit sanctissimè: *Super omnia autem iubemus, vt ipsi tres fratres* (filios suos Imperij ac regnorum hæredes intelligit) *curam & defensionem sancti Papæ simul suscipiant, sicut quondam ab auo nostro Carolo, & beatæ Memoriæ genitore Pipino rege, & à nobis postea suscepta est.* Aueo scire quid tibi Thuane hæc & similia antiquæ pietatis monimenta legenti veniat in mentem: Ecquid etiam tum conscientiam tuam illā religiosam interroges, quod te sæpe facere, in historiæ tuæ vestibulo prædicas: Ea te sanè, nisi aut surda aut elinguis penitus sit monet, nihil tibi iam cum veteribus illis Christianis esse commune, cum tu eam sedem omni calumniarum genere dedecores, pro qua illi ornanda & amplificanda nullis laboribus sumptibusue pepercerunt.

Quid? quod non obscurè præ te fers quàm tibi sint in amoribus quotquot vnquam in summos Pontifices calamum strinxerunt? Eorum enim & nomina refers in tabulas studiosissimè & querimonias de Romanæ Ecclesię corruptis moribus ad nauseam ingeris. Imò quò suauior fluat oratio, artificiosè tuo more Germanos Principes, Palatinum Comitem, Saxoniæ Ducem, Marchionem Brandeburgicum, aliosque his similes inducis accuratè commemorantes quæ Nicolaus Clemangius, Ioannes Gerson, Guillielmus Parisiensis (sine te moneri vir sapientissime, Matthæum voluisti dicere) de ea re olim expostularunt: Prorsus id ingeniosè abs te fictum. Nam cui dubium esse possit quin libri illi nobis vix cogniti, hominum militarium & Germanorum terantur manibus; nisi hoc fortè dicas, eos te Nomenclatore vsos esse. Quare nihil iam est quod oratione non conficias, qui tam argutè fabulas concinnes. *Lib. 15.*

Sed bona fide dic Thuane, vnde tibi tantum in Romanos Pontifices innatum odium? Dicam enim tibi quod Parmeniano Donatistæ quondam Optatus Mileuitanus. Quid tibi sedes Petri fecit? Te sanè vt audio Carnotensi Episcopo patruo tuo successorem nominarat; opimis beneficiis auxerat cum tu Clero sacris ordinibus illigatus nomen dedisses. Tuorumne librorum censuram

Romæ factam causaberis? hinc auctum fateor, non ortum odium; cum tu iam ante tot annos versiculis pestilentissimis, & historiis odij virus in sedem Apostolicam euomuisses. Sed opinor, vt in natura quædam cernimus occulta quadam ἀντιπαθείᾳ diffidere, sic impietatis ille succus quem à teneris hausisti, sanctitatem & auctoritatem primæ sedi à Deo collatam ferre nullo modo potest.

Ac ne me quis putet tui odio rem in maius augere, exscribam hîc versiculos aliquot tuos effusos eo tempore quo res Catholicorum in Gallia nutare videbantur, cum necdum Henricus ille Magnus inter Catholicos profiteretur: tu tempus illud tibi optatissimum obuenisse credens quo Gallia diuortium perpetuum ab Apostolica sede faceret, Deus Immortalis! quæ quamque nefaria tum effutiisti! Miror tam tibi parum frontis fuisse, vt tali abs te impietatis professione palàm emissa, auderes adhuc in Catholicorum cœtu locum tenere. Ecquid enim versus illos tuos agnoscis Cæsaroduni Turonum primùm, tum Lutetiæ, denique apud Batauos prælo datos? In iis quid de Romana Ecclesia, eiusque fidè & doctrina censes?

Pol. 6. p. 1.

——— Luimus nocentis Crimina Romæ,
Improbos mores, & adulterinos
Numinis cultus, Tragicasque fraudes
Odit, & totum Deus Vltor armis
Concutit orbem.

Quæ verò Regi Henrico nondum eierata Caluini perfidia das præcepta? Prorsus ea quæ à Mezentio quopiam diuini numinis contemptore, aut à Caluino Bezáue dari potuissent.

Pol. 18. p. 1.

——— Licet inuida contrà Bellua Vaticana fremat.

Quid vnquam effrænatius ac irreligiosiùs siue à temulentis Lutheranis, aut à spurcis Caluinistis, aut à fanaticis Anabaptistis in sanctam Petri sedem dictum est? Pergis monere Regem optimum ne se Catholicæ submittat, Romam potius infestis signis petat, excommunicationis fulmen negligat,

——— Tu septifrontis cornua belluæ
Et quidquid audent, hinc socer, hinc gener,
Huiusque debellare sæcli
Monstra piis inimica natus.

Addam

Addam ne etiam cætera? *Frustrà pandet aperta Cœli templa Vicarius, Vanis pollicitis callidus artifex Vulgi stulta leuis pascere pectora.* Vt efferatus Grammaticus Sacrosanctâ Pontifici à Christo potestatem concreditam eleuare nititur, & se Catholicum adhuc mentitur? Porrò qui tam contumeliosè successorem S. Petri habet, quid sentire putas de collegio Cardinalium? quæ vota impurissimi Ganeonis & profani Poëtæ?

Romanumq; apicem, pulsis tibi Roma Cynædis
Restituat, ciuesque tuos, priscumque Senatum.

denique suam de summo Pontifice sententiam missis ambagibus exprimit, Galliam deplorans,

Ad prædam accincti, Nam sat Lotharingia non est
Vna, Quirinalis Prædo, Sabaudus, Iber.

O elogia indigna sanctitate dignitateq; Pontificia! sed eò digniora Thuano hæreticorum improborumq; omnium præcone, per quem non stetit quo minus Henricus ille magnus nouas sectariorum opiniones ad finem vsq; vitæ tueretur, & Galliam Romanæ sedi in primis obnoxiam, contra Ecclesiam Romanam armaret.

CAPVT XI.

Thuanus Pseudotheologus.

QVi Petrum Lizetum Santouictorianum Abbatem nuper deridebat Thuanus, quod à studijs forensibus repente ad Theologicos libros scribendos animum appulisset, idem in versiculis pangendis & cõsarcinanda historia sui temporis mediocriter versatus, putauit sibi ius fasque esse interdum doctorem Theologum agere: Audiamus igitur nouum repente quasi è sipario in scenam prodeuntem sacræ doctrinæ magistrum, aut potius stolidum Passauantij Theodorique Bezæ discipulum, ea narrantem quæ sub Henrico octauo in Anglia contigerunt: *Ecclesiasticos tam Angliæ quàm Hiberniæ Sacramento adigit Henricus, vt se tanquam Ecclesiæ caput à Christo proximum agnoscant; Mutata disciplina, nihil in doctrina mutatum.* Lib. 1. Itáne verò homo rerum sacrarum imperitissime, nihil tum apud Anglos mutatum in doctrina censes? cum publicè eierata est summi Pontificis in Ecclesiam autoritas, eaque delata est homini laico, ne quid

grauius dicam. Et Caluinus ille vester Henrici furorem detestatus est, & Caluini asseclæ religiosiores etiamnum execrantur Anglos, qui summam illam Ecclesiæ potestatem homini πολυγαμωτάτῳ, tum puero infanti, adeoq; non ita pridem fœminæ detulerunt; vt nihil iam vetet quin Pepuzianorum ab inferis suscitetur error; & Mulieribus quas in Ecclesia tacere iussit Apostolus, decernatur potestas sacris mysterijs operandi. Sed quid Caluinus aut Caluini auditores in hac re senserint, nihil moror. Cum sacris literis sit testatissimũ, Pontificis quã in Ecclesia exercet autoritatem à Christo salutis nostræ vindice profectã esse, Cum ab hac fidei norma nunquam maiores nostri latum vnguem deflexerint, cum id omnibus Concilijs generatim indictis sit agnitum probatumq; , tu doctrinam Ecclesiæ in Anglia mutatam negas, in qua palàm ea veritas est improbata. Quantò fecisses consultiùs Thuane si in versiculis fundendis consenuisses, aut certè si animus erat deuexa ista tua ad honestum & pium otium ætate res Theologicas attingere, non operam posuisses euoluendis famosis libellis, vel hæreticorum Bibliothecis (quas tu credo propediem Photius alter in lucem dabis) sed scripturam sacram ex Ecclesiæ sensu præeuntibus tibi quasi fidis Nomenclatoribus antiquis Patribus, modestè & pro ingenij tui tenuitate perlegisses.

Nunc verò cum illotis manibus sacra illa tractas, quàm multa imprudens peccas? Quis enim tibi credat Neotheologo tam audacter asseueranti nihil in Anglia sub Henrico octauo de Doctrina Catholica mutatum? Cum ἄῤῥηκτα Matrimonij vincula libidinis impetu & vanissimis Pseudoepiscoporum Decretis sint soluta; cum religiosa vota passim Henrico Rege pro ea quam sibi in sacra omnia arrogabat potestate, sint violata; cum Atheismis Briandi (quem Henricus per iocum, vocabat suum apud inferos vicarium) & aliorum id genus hominum, omnis repente illa Insula miserrimè sit deformata? Tu hæc nesciuisti homo candide, alioqui memoriæ mandaturus: & oblitteraturus quod scripseras imprudenter, *Nihil tum apud Anglos mutatum in doctrina.* At profectò si negare pergis, euincam facillimè, alia omnia docuisse Prælatos & diuini verbi præcones in Anglia sub Henrico Septimo, quàm quæ sub Octauo Herodiani illi noui (Pseudoepiscopos Angliæ, qui tum erant, intelligo) populo suadebant. Neq; enim si Zwinglianos Henrici Octaui iussu ad suppliciũ pertractos

constat,

constat, idcirco consequens est eum Doctrinam Catholicam conseruasse. Εὐήθης es nimium Thuane in hoc rerum genere, & ineptis mihi crede, qui nescias Sabellianos quondam Arianis infensos, Nestorianis Eutychianistas, quin etiam Caluinistas audio Lutheranis in plerisq; Germaniæ vrbibus bellum ἄσπονδον indixisse: Ita Zwinglianos cane peius & angue oderat Henricus Octauus ais: scio, & idem pleraque doctrinæ Catholicæ capita eierabat: At quod te nescire vix puto, non in vno apice stat fidei Christianæ summa: Quisquis vel vnicæ doctrinæ fideiue Catholicæ dogma negat, vehementer fallitur si se Catholicum putat. Neque tulissent Zwinglianos Arriani. Ideóne tamen hæreticorum numero Arianos eximendos censes? Sed nullus mihi scribendi modus erit si ad singula non Theologiæ sed Matæologiæ tuæ capita sigillatim respondere velim. Pauca delibabo.

In Præfatione tua, adeoq; tota historia, hoc tanquam axioma statuis: *Neminem ad credendum, siue ad Catholicam religionem amplectendam esse cogendum*: Ex quo deducis, *perinique principes Catholicos fecisse, quoties in hæreticos Lege agi voluerunt.* At profecto verum illud est Terentij, *In Præfat.*

> *Homine imperito nil quicquam est iniustius*
> *Qui nisi quod æquum censet, nil rectum putat.*

Quod si tibi homini occupatissimo licuisset, tantisper sacræ scholæ limen terere, audiisses enucleatiùs quid de hac re tota sit sentiendum, hócque in primis, Nemini vnquam post fidem Ecclesiæ datam licuisse ab ea recedere, Adeóq; legibus quemq; subijci quas sibi lubens volens imposuerit. Quo factum est vt iure meritoq; in hæreticos lege actum sit ex Rescriptis Principum Constantini, Valentiniani, Theodosij aliorumq;: Alia est Gentilium, Iudæorum, Turcarumq; qui nunquam religionem Catholicam sunt professi ratio. Itaque in illa tua Præfatione S. Augustinum mala fide allegas; etsi enim aliquando mitius cum hæreticis agendum censuerat, tamen longo rerum vsu monitus in reliquorum abijt sententiam, & grauibus esse pœnis coërcendos dixit. Pari fide Diui Martini preces Clementi Maximo Imperatori oblatas pro Priscillianistis commemoras: Atq; vtinam legisses Seuerum hæc narrantem attentius, aut etiam Cardinalem Baronium illius temporis, periculiq; non hæreticorum vt tu opinaris, sed Catholicorum, seriem omnem verissimè denarrantem, puderet te &

ἀνιστορι-

ἀνισοῤῥοπίας & Infantiæ tuæ; Possem in hanc Sententiam plurima congerere si luberet, Tu quos in hoc negotio consulas, habes sat scio non paucos è Catholicis. Et quoniam te scriptis hæreticorum capi video, vix mihi persuadeo Caluini librum de punitione hæreticorum tibi deesse.

Lib. 5. Iam verò quàm reconditæ eruditionis illud esse censes, quod libro quinto tam constanter asseueras, *Reges Galliæ censuræ Pontificiæ non subiacere.* Cuius sanè axiomatis scopum vident omnes, rationem præter te & Ecclesiasticæ autoritatis contemptores nemo satis intelligit. Quid enim? non est in vniuersum Ecclesiæ gregem Pontifici à Christo data potestas? aut verò Christianissimum Regem in hoc Ecclesiastico grege esse negas? & ad fœdos sinistrosq; hœdos: hoc est schismaticos & hæreticos relegas? facis iniuriam Thuane Regibus optimis, & vt Ecclesiæ primogenitos decuit, Pontificiæ dignitatis obseruantissimis, qui melioribus quàm tu sis, vsi doctoribus, & vincula censuræ Ecclesiasticæ semper veriti sunt, & vt quàm citissimè soluerentur religiosè studuerũt. Referrem hîc pleraq; nostrorum externorũq; Principum exempla si tu ea nescires, aut si tibi profutura crederem. Nam me magna capit admiratio legentem, quæ tam præfidenter asseris contra Catholicorum omnium sententiam, & indubitata ipsius fidei principia. Quocirca & saluti tuæ consules & honori, si paulò consideratius in quos te laqueos induas perpendas animo: Nam quod se Reges Christianissimi abs te defendi sentiunt, laudant animum, prudentiam non minus quàm pietatem desiderant: dum quos liberos esse cupis, reddis aut nefario schismati obnoxios, aut in teterrimam hæreseos seruitutem indignissimè detrudis. Quanquam hæc vt opinor moliris, non tam vt Regibus gratificere, quàm vt Romano Pontifici, si qua possis incommodes, & supremam illius in Ecclesiam vniuersam imminuas potestatem. Quod certè studium tuum Catholicæ filius nemo approbet. Quis enim filio in communem omnium parentem maleuolè pugnanti suppetias ferat?

Et tamen pleraq; libris tuis sunt insperſa quæ hunc animum tuum produnt. Quorsum enim quæso, isthæc abs te tam temerè?

Lib. 15. *Pontificem Romanum ius sibi arrogare Concilij indicendi*: Nam auemus abs te nouo Theologo rescire, cui tandem alteri ius hoc transcribas, aut cui Comitiorum huius Imperij Gallici indicẽdorum

ius sit & potestas nisi Regi? Ac si quasi dubia in re quod respondeas non habes, docebit te Socrates Ecclesiasticæ scriptor historiæ, antiquo canone statutum esse, *Nullum haberi legitimum Concilium, nisi quod nutu & autoritate summi Pontificis sit coactum*: Quid si etiam Synodicas literas vndiq; Romam missas euoluere placet, inuenies ea demum rata fuisse hactenus Conciliorum Decreta quæ summus Pontifex suo calculo comprobauit. Quamobrem petulantem illum tuum stylum reprime sis Thuane, neú arrogãtiæ deputes quod Pontificiæ est dignitatis, quam non Phocas aliquis vt delirant tui illi amiculi, sed Christus ipse hominum seruator primæ illi sedi detulit: Tabulas sanguine testatoris obsignatas habemus in sacris Euangelijs, occlude sis aures nouitijs tuis commentatoribus, veteres Ecclesiæ Patres vt sacræ monent paginæ, interroga de viis antiquis, mox refiges illud tuum temeritatis & inscitiæ plenum, de Arrogantia Pontificum in arrogando sibi Iure Concilij indicendi. *Lib. 2. Cap. 13.*

Haut absimile illud est quod alio dicis loco, *Pontifices Romanos ius sibi vendicare Academias quibus libitum fuerit locis condendi*. Cui sanè criminationi tuæ si opposuero id eos nunquam facere nisi Christianorum Principum apud quos eæ Academiæ fundandæ sunt, rogatu, quid dices? At ita se res habet, nec probabis vnquam à Romanis Pontificibus Academiam vllam cuiquam inuito Principi Christiano fuisse obtrusam. Itaque & sollemnia si bene commemini verba sunt formulæ qua gradus in Academijs Catholicis à Cancellario deferuntur, cum se id agere pronuntiat, *Pontificali ac Regia autoritate*. Nam si de me scire cupis cur in ea re Pontificia autoritas necessaria iudicetur, sic accipe. Academia Ecclesiasticæ communitatis pars quædam est & portio. Ea cum omnibus Reipublicæ muneribus habiles viros sufficiat, tum in primis Ecclesiastico statui: quare nihil æquius est quàm vt Pontificis autoritas in ea condenda interueniat. Certè quidem memoriæ proditum est, ferè olim à religiosis & Ecclesiasticis viris Academias regi cõsueuisse, soláque temporum licentia morem hunc inuectum vt à sæcularibus & vxoratis Iuuentus doceretur. Quare desine Thuane Romanum Pontificem arrogantiæ nomine insimulare, vel mortalium omnium & arrogantissimus vnâ & imperitissimus audies, qui animi impotentis morbo quasi æstu quodam abreptus, & Andabatarum in morem in Christianæ plebis cõmunem parentem incurras. *Lib. 5.*

Lib. 1. Et quis te feret illa scribentem? *Carolus quartus suo periculo sed serò sensit quorsum pertineret ius illud quod sibi in inaugurãdis Imperatoribus Romanus Pontifex sumpsit, vt scilicet licerét ei à quo accipere debuit, leges quas vellet pro Inaugurationis pretio imponere.* Profectò qui hæc ex historia tua nesciat deprompta, credat à Caluino quopiam aut Luthero esse dictata, vel certè ex Centuriatorum autographo ad verbum exscripta, nec enim credibile est quidquam ab eis contumeliosius in sanctam Sedem scribi potuisse. Quod si Bellarminum de translato ad Germanos Imperio legere maluisses quàm nescio quos è Lutheri hypocaustis vel Caluini lustris scriptores nõ minus imperitos quàm irreligiosos, consuluisses Thuane nomini tuo: Sed vt serpens mala gramina pastus, quemadmodum apud Poëtam, veneno tumeat necesse est, sic tu haustis malignis succis Chemnitij, Chytræi, Magdeburgensium, quis miretur, si tam improba in primam sedem euomas? Placet mihi vehementer S. Basilius de te tibiq; similibus loquens, *οὐχ ὁρᾷς ὁποῖα* In Psalm. 44. *τὰ τῶν ἀθλίων στόματα ἀπερεύγεται; quod aperit inquit, latere πολλὴν εἶναι τὴν ἐν τῷ βάθει νόσον.* Et verò suasurum te cuiquam speras Germanis illatam iniuriam à Romano Pontifice cum ad illos Ius Imperij certis pactis & conuentis transcripsit? Pietatem hactenus & religionem in te desiderauimus, nihil iam propius est quàm vt te etiam Iudicium deficere dicamus, qui collatum Germanicæ nationi summum à Pontifice Romano beneficium, iniuriam vocas. Quanquam vt verum fatear, certat vbiq; impietas cum imperitia tua, nec adhuc satis exploratum habeo cui primas decernere oporteat. Ab Imperatore Pontificem leges accipere debuisse, ais, Quî probas improbum istud dictum? Leges à Pontifice datas Imperatori pro pretio Inaugurationis malignè calumniaris; Miror nunquam venisse cuiquam in mentem id opprobrare Ioiadæ summo apud Hebræos Pontifici cum Ioam regem inaugurarct, & diuinam Legem ei in manum daret, nouoq; eum cum Deo ac religione patria fœdere deuinciret. Hoc tu nefariè pretium inaugurationis vocas; neq; inuitiùs quidquam vides quam Imperatoriam Maiestatem Pontificiæ dignitati fasces submittere: Velles iterum tristissima illa tempora existere quibus Romam Henricus, Conradus, Fridericus infestis armis petebant; quò arrogantia Pontificum quemadmodum loqueris, comprimeretur: Quam gratum tibi foret, audire nouos Attilas, Geisericos, Totilas, Astulphos, Desiderios in Italiam signa conuertere, primamq; sedem

vt olim factum est, dira crudeliq; seruitute premere? Licebit tibi quod voles optare, quod optaris, Deo propitio, non assequêre.

Pergo nûc ad aliud recôditioris tuæ Theologię caput; Namque vbi recenses varia dogmata Andreæ Osiandri hæretici, istud homo perspicax non prætermittis; *Hoc erroneum dogma cæteris admiscuit quo adserit Christum, etiamsi per primi parentis peccatum non fuisset perditum genus humanum, nasciturum tamen nihilominus fuisse.* Ἀμάθεια θράσος φέρει, ait vetus autor, & tua te Inscitia tam grauem alienorum dictorum censorem reddit Thuane. Hocce ergo quod in Osiandro notas inter hæreses reponis? næ tu homo es in Theologicis infantissimus, qui si scholas illas vel à limine salutasses, audiisses grauissimos doctores ea de re variè sentientes salua fide Catholica. Imo verò id vt addiscas Thuane, Catholici viri optimi censent exaggeratam Dei erga genus hominum bonitatem eo ꝓbari quòd etiam venturus in orbem esset, quamuis nullum primi parentis subesset crimen morte expiandum. Depone infulas homo prophane, nec de rebus quæ captum tuum superant differe ne quemadmodum olim Phormio coram Annibale de rebus bellicis disputans est derisus, Ita te posteris tam insulsè de Theologicis rebus scribentem, subsannandum propines.

Et elucet tua illa doctrina Thuanę cum de sacris precibus lingua vernacula conceptis iudicium tuum interponis. Cum enim Dauidis Psalmos Gallicis expressos versibus hæretici quidam Lutetiæ canerent, *Id sacer ordo*, inquis, *ægerrimè tulit, quod eam inuentam esse rationem dicerent qua sacra publica vetustissimo instituto à Romana Ecclesia matrice accepto lingua Latina peragi solita, nunc eo sermone expressa essent quem quiuis è vulgo caperet, contemnere plebs assuesceret.* Quæ tu non modò imperitè vt ante dicebam, sed etiam malignè tuo more: dum ieiuna pietatis defensione, causam Ecclesiæ prodis. Cur enim subticuisti præuaricatoris in morem, quæ dicenda fuerant maxime, nec dubium quin à sacro ordine & grauissimis Theologis dicta fuerunt pro retinendo veteri precandi ritu, & prohibendo illo nouitio ac prophano? Semper enim hoc sollemne fuit hæreticis vt eiusmodi cantiunculis plebeculæ demulcerent & aures & animos & ab Ecclesiasticis hymnis auocarent: hoc Paulus Samosatenus, hoc Arrius, hoc pleriq; alij factitarunt, hoc deniq; post tot alios Clemens Marottus infamis psaltes nostro æuo tentauit; hominis prophani versiculos longe

Lib. 14.

omnibus scripturæ translationibus quas Ecclesia vetus est venerata, sectarij nuperi prætulerunt. At Thuanus vt ordini sacro expostulanti de vernaculis illis precibus, inscitiæ notam inurat, *Vetitum*, inquit, *alia lingua preces concipi quam Latina, Ne quiuis è vulgo caperet, itáque plebs contemnere assuesceret.* Quæ vt vna causa sit, tamen cum ea maximè vtantur, qui Ecclesiæ Catholicæ inuidiam conflare volunt, cur solam perfidus Præuaricator à sacro ordine allatam fingit? Aliæ sunt & plurimæ & grauissimæ causæ cur in sacris ritibus vernaculæ linguæ locus non sit datus, quas nec ignorasse Thuanum credo, & hîc afferre nihil opus est.

Lib. 9. Iam excutiamus quæ de Simone Portio dicit vspiam, *Nonnihil dum Aristotelicæ doctrinæ plus iusto tribuit, in disputationibus de Anima & Mente humana Pomponatij sui culpæ affinis creditus est.* Vnde autem tibi noua hæc incussa est religio Thuane, vt quem Concilio Lateranensi, hoc est grauissimo Ecclesiæ totius decreto damnatum eo nomine scias, extremo stylo perstringere verearé? Sed profectò, necesse est, vt cui improbantur quę probarit Ecclesia, eidem probentur quæ improbarit.

Lib. 19. Quanquam aliquando vult videri Thuanus Ecclesię decretorum vindex: Meminerat ab ea olim proscriptos Flagellantes quosdam hæreticos: itaque exarsit grauius pro eo quo est in res sacras zelo, & debacchatus est in supplicationes illas ad quas interdum nonnulli saccis operti pœnas flagellis de se sumunt. Ne verere Thuane, ne putemus te de illis vnquam fuisse, quos velatos aliquando Lutetiæ vel Tholosæ vidimus per sacros quadragesimę dies templa obeuntes: Putent hæc tibi sat scio cui non ægre persuasit Caluinus, Cilicium, Cinerem, Disciplinam, veteris Legis inanes fuisse cerimonias, nouitate ac libertate Legis Euangelicæ abolitas: Itaque homo prophanus ἢ κλ ηνώδης Collegia illa siue φρατρίας diuersis saccorum distinctas coloribus, cum veteris circi factionibus Prasynis Venetisq; confert: verè hoc vt omnia dixit Apostolus, im̃undis omnia im̃unda, addo & prophanis prophana.

Quod si quis Thuano similis ψυχικὸς scire se negat, quid intersit inter veteres Flagellantes hæreticos, & eos qui nunc se vltronea illa cruce onerant, habet è Iesuitico sodalitio Gretserum qui hoc eum cumulatissimè docebit. Interim me Thuani monet scripta quàm verè sit ab Alcuino Caroli Magni doctissimo præceptore dictum; Disciplinam quasi displicinam esse nominatam.

Venio

Venio ad alia duo grauiora Mataeologię Thuanicæ capita, eorum alterum est lib.35. in quo accuratè, quāquam sub alterius persona congerit Thuanus quæcunque vnquam ab impuris hæreticis sunt contra cœlibatum sacerdotum excogitata: allegatur veteris sacerdotij Aaronici libertas, laudantur Apostoli coniugati, excitatur Paphnutius è Concilio Nicęno, grauis eius ad Patres habita oratio celebratur, non omittitur epistola Dionysij Corinthij ad Pinytum; referuntur execrationes nebulonum quorundam in Calixtum Papam, authorem vt aiunt cœlibatus Ecclesiastici: Denique si Thuani locum illum communem legant Ministelli Geneuenses, habebūt calumniarum plus satis quibus horam solidam auditores suos detineant. Nec puduit hominem non penitus antiquitatis ignarum has nugas proponere? quas confutare possit quisquis Theologiam vel à limine salutarit. Denique adeo transuersum egit maledicendi libido, vt quę ad hæc impurorum hominum deliramenta centies sunt responsa, maligno silentio suppresserit. Lib. 35.

Alterum, & id sanè perinsigne Theologiæ Thuani caput est lib.28. Vbi ab Espencæo & aliis quos vehementer laudat statutum ait, *Vt sanctæ Trinitatis effigies tanquam sacræ scripturæ, conciliis & veterum Patrum testimoniis prohibita tollatur: Sanctorum Imaginibus non Coronæ, Serta, Vestes imponantur, non candelæ accendantur, nō thura incendantur. In supplicationibus minimè gestentur, ex altaribus tollantur, in iis sola crucis effigies reseruetur.* Et verò tantopere arrisit Thuano id decretum, vt qui ei obstiterunt homines præfracti sint ab eo iudicati. Sic enim habet: *Nicolaus Mallardus Collegij Theologici Parisiensis Decanus intercessit, & quamuis quædam prauo more irrepsisse non diffiteretur, Tamen omnem illum Imaginum cultum retinendum contrario scripto, præfractè asseruit, & ita re infecta discessum est.* Tuo quidem maximo dolore sat scio Thuane, qui si in eo conuentu Iudex fuisses, næ quo es in Idololatriam zelo, sacram in Ecceclsiis imaginem iam nullā haberemus. Et mirabare nuper Espencæum Collegio Cardinalium exclusum, & nescio quam huius repulsæ caussam è Legenda Ferrea petitam canebas homo vanissime, qui vel imprudēs hîc agnoscis hominem plus æquo sibi tribuentem dum à Catholica opinione recessit, impegisse in Iconoclastarum errorem, quos nō statim flammis donasse sacras Imagines accepimus, sed primùm quidem statuisse, vt in sublime tollerentur, ne iam eis Lib. 28.

 oscula

oscula libare cuiquam liceret. Nemo repentè fit improbus, nec omnes statim nequitiæ suæ fraudes hæresis exerere consueuit.

Lib. 74. Et eodem illo tuo genio Thuane, transcripsisti nefarium edictum quo hæretici pietatem omnem ac religionem Bruxellis ad tempus eliminarunt, vbi hæc inter cætera: *De abominabili reliquiarum & Imaginum cultu, vnde ab auaris Sacerdotibus credulæ plebi perniciosè impositum sit, &c.* Tum varia congeris quæ ab Iconomachis huius æui iactantur, neque voculaintercedis. Quamobrem qui hæc quæ à me sunt è scriptis tuis excerpta leget, aut à te negabit esse scripta, aut Thuanum esse catholicum negabit.

CAPVT XII.

Malignæ aliquot Thuani fraudes.

QVanquam ea quæ hactenus sunt à nobis in historiam Thuani notata, sole ipso clarius ostendunt nihil ab eo esse bona fide narratum, sed omnia quæ de Catholicis scripsit adulterata esse odio, quæ de hæreticis cœco in eos amore corrupta esse: tamen vt multorum desiderio fiat satis, nonnullas adhuc hominis technas prorsus illiberali dignas mancipio aperiam. Etenim cum certum haberet ac constitutum, & hæreticorum fauere opinionibus, & tamen inter Catholicos censeri, rationem quandam excogitauit qua veluti de genere amphibiorum nunc harum nunc illarum esset partium. Nam persæpe Thucididis aut Liuij in morem conciones & bene longas & elaboratas scripsit, easque hæreseon propugnatoribus ascripsit, quibus nouarum opinionum firmamenta rationesq; omnes qua potuit vi dicendi persuadere conatus est; neque vnquam veneno illi, quod quasi aureo vase lectori propinauit, antipharmacum vllum apposuit. In rem quæso præsentem, quod aiunt Iureconsulti veniamus; & vno alteroue exemplo proposito fraudem hanc retexamus.

Lib. 9. Bohemos pro communione sub vtraque specie ita perorantes quodam loco inducit, vt veteres Hussitas, vel Wicleffitas ex inferis euocatos triumphare credas: nullus apud illum est qui Bohemorum legatis quidquam respondeat, nullus qui pro Ecclesiæ decretis contra hæreticorũ nænias dicat. Quod cum agit quid

aliud

aliud molitur quàm vt veritas mendacio cedat, & imprudenti lectori hæresis suauiter instilletur?

Alius locus apud eundem est in quo Principũ Protestantium oratores ex Germania Lutetiam deducit, quo innocentiæ Annæ Burgi Lutherani cæterorumq; Nouatorum apud Regem Henricum Secundum patrocinentur. Quo sanè artificij genere Thuanus bellissimè refert capitalem generis humani hostem ea persæpe dicentem per arreptitios quæ ipse dicere nunquam ausit. Sic quæ concepit animo Thuanus in Ecclesiam Romanam & Catholicam religionem, concionibus illis suis quas hæreticis ascribit, subdolè homo nefarius inserit; licet vix vnquam ita dolos suos consuat, vt aciem fugiant hominis mediocriter attenti. Certè quidem Thucidides & Liuius, quos sibi vt videtur ad imitandum proposuit, bona fide quid vltro citroque dictum responsumque fuerit in suis illis Concionibus explicant, maximeque cauent ne qua putentur præiudicata opinione à vero deflectere: pudeat hominem in Ecclesiæ castris merentem stipendia quasi perfugam ita fidei hostibus in omnibus fauere, vt pro eis semper, contra eos licet manifestis & erroribus & flagitiis implicatos nunquam dicat; An verò ita se res habeat, accuratè dispiciamus. Lib. 16.

Teterrima fuit post fundatum imperium Gallicanũm Ambosiana coniuratio, à perfidis hominibus suscepta qui religione Catholica eierata nullo iure nulla authoritate ad arma conuolantes ex diuersis Galliæ partibus statuerant Rege Francisco Secundo, aut occiso, aut in ordinem redacto omnia miscere. Renaudius Caluini fautor si quis alius, idem huius nefarij consilij princeps. Prò superi! quæ in hoc audacissimo facinore non tam describendo, quàm obscurando Thuanus est commentus! Nihil in regem tentatum, omnia coniuratorum consilia in solos Guisios conspirasse, aliud cogitasse nihil quàm ne Gallia Lotaringorũ iugo seruiliter premeretur. Interea vt sibi liberum campum aperiat ad vituperandos impunè Guisios, Renaudium perorantem inducit ad præcipuos factionis duces, & rem ab ouo quod aiũt deducentem; vbi sanè cum verbis certant mendacia, quæ si vrgere singula velim, vereor ne mihi Renaudium opponat militarem hominem & talium rerum minus peritum. Nam vt olim Principum Romanorum ad Senatum vel populum orationes notis excipiebantur

fideliter; Ita mihi videre videor Thuanum Renaudij latus obsidentem, & suauissimam illam concionem è dicentis ore scriptis mandantem; Qua Renati Lotaringi cum Carolo Burgũdo bella, Antonij cognomento Boni,(quod ille tamen omisit,ne vt ille alter inimicum suum Pisonem,Frugi, quod ei cognomen erat, addere noluit ne laudaret,ita bonæ fidei Scriptor Thuanus obuoluit silentio, ne quem de illa familia celebraret) Antonij inquam illatas hæreticis clades,quãquam eas callido artificio eleuat, Claudij Guisij in Gallias aduentum, Francisci varias expeditiones exequitur, ita tamen vt eis laudem omnem malignè adimat. Ingeniosus homo inuenit quî eadem opera posset & omne maleuolentiæ quò tumebat virus in Guisios euomere, & velo quasi oppanso conatum hereticorum longè omnium flagitiosissimum tegere. Nihil agis Thuane, iam veritas fidem occupauit: nemo nescit qui sensus animorum in eis fuerit, quos Renaudius ex condicto ad Eidus Martias Anni M.D.LX. Ambosiam euocarat. Cohorruit orbis vniuersus tanti sceleris perlato quaqua versum nuncio: facileq; intellectum est hunc esse primum fructum hæreseos, quam superbia genuit,aluit crudelitas. Iam Lutherus Germanica seruitia in Dominos armarat,restabat hoc etiam Caluino,vt Gallos contrà ingenium gentis, in Christianissimos reges suos vano libertatis titulo cogeret.

Lib.14. Age nunc alias Thuani fraudes excutiamus. Andelotus Gasparis Colinij frater, Gallici peditatus præfectus idemque hæreseos fautor acerrimus, authoritate qua plurimum poterat incurabili quadam serpigine milites inficiebat.Euocauit eum ad se Henricus Rex optimus, monuit perhumanè ne se aliosque perditum iret:rediret ad Ecclesiæ castra.Hîc quasi Sebastianus quispiam coram Diocletiano sisteretur,sic eum nobis Thuanus gloriosum suæ fidei confessorem magnificis verbis exhibet: *Summa fiducia, vt erat vir elato animo, iuxta Caluini doctrinam, minimè secundum Regis votum responsum dedit: Quin etiam maiore quàm antea fiducia hæc addidit, se in causa religionis fucum Deo facere non posse, Corpus, opes, dignitatem, in regis esse potestate, animam soli Deo qui dedit illam, subiacere, cui proinde in hac causa, vt potiori Domino parere necesse habeat.*

Quid vnquam ab Apostolis ipsis dictum constantius furenti in Christum synagogæ? aut verò quid obstat quin hoc Thuani præconio elatus ad superos Andelotus in diuorum numero reponatur?

natur? Flagitiosissimus ille mortalium, dignissimusque fratribus suis Gaspare & Odeto; cui de Sacerdotum auribus contextus torques quouis conchyliato nobilior, vt aiebat, è collo pendebat, qui turbinis instar aut potius furiæ cuiuspiam tartareæ in morem, quocunq; pedem intulerat Catholicos mactabat, aras priusquam euerteret Sacerdotum sanguine imbuebat, Ecclesias inflammabat, sacros calices conflabat, asseruatos maxima religione sanctorum cineres in auras spargebat. Hunc tibi tutelarem Diuum ascisce Thuane, hunc tuis in hæresi confirmandis ad imitandum propone, illis eius constantiam, quoniam eo verbo sæpe tibi abuti placet, prędica: Eum etiam si voles Caluini, nec enim Christi, confessorem immortalitati consecra: Sciant posteri quam ἀντιφραστικῶς vestibulo historiæ tuæ affixa sint illa duo emblemata Ἀληθείας & Παῤῥησίας; Verius ijs substituisses ψεύδους & θράσους: cōuenientius hi tuo Limentini Dij farraginis tuæ historicæ limen obsedissent; Adeo tuus vbique stylus in mendacia proiectus audacter est, vt aliud nihil propositum habere videatur, quàm vt proborum hominum ruina improbos euehat.

Et risi sanè, ea percurrens quæ tu eidem historiarum tuarum vestibulo præfixisti ex Luciano & Polybio. Quam enim religiosè id præstitisti, quod te illi docuerant? In historia nullo affectu priuato duci, sed virtuti laudem decernere, etsi ea in hoste reperiatur, vitium vel in amicissimo detestari. Itaque visa mihi tua historia est instar pyxidis, quarum plerasq; apud Pharmacopœos cernimus, quibus insunt affixi tituli perelegantes, & earum fere rerum quæ ab vltimo oriente curandis corporib' deuehuntur, quarum tamen præter epigraphas nihil repræsentant. En tibi alia huius fraudis argumenta.

Ierat in Brasiliam Villagagno, hæresis ministros nō paucos secū adduxerat vt erat tum Caluini sectæ addictissimus. Vix octo menses in illa ora cum eis transegit; In Galliam rediit, quodque *Lib. 11.* ipsi vtilius fuit, ad Ecclesiam Catholicam sese retulit. Tu verò Tite noster, cuius in ore & corde scilicet Ἀλήθεια καὶ Παῤῥησία sessitant, quid ais? vnde tam repentina in Villagagnone mutatio? Ecquos doctores Catholicos in Brasilia audierat, qui sectariorum cum pari improbitate inscitiam aperirent? Tu hæc tantum obi-

ter: *Villagagno à Cardinali Lotharingo, vt creditur, per literas monitus Geneuenses ministros malè à se habitos dimisit.* Quæ sanè paucula verba vix à te veritas extorsit. Quanquam si quid in te ingenui hominis fuisset, Cardinalis Lotharingi hac in re pietatem dilaudasses, qui deuium à fide Catholica in Ecclesiam reuocasset, *Conueniens homini est hominem seruare voluptas.* Nisi forte omnium religionum homo nihil interesse putas quam quisque profiteatur, & quacunque via ad tam grande secretum vt aiebat ille perueniri. Sic Themistius gentilis Philosophus Valenti persuadere conatus est, diuinum numen homini imperuium hac opinionum varietate delectari: Catholicorum alia mens est, sensus alius, quibus vt arca salutis vnica est, sic indubitatum est illos qui ab ea extorres fuerint, spei etiam exortes esse. Sed ad Villagagnonem redeo, qui suæ ad Ecclesiam reuersionis causas scripto euulgauit, quas tu non nesciuisti, eas si forte oblitus, & veritatem ferre potes, de me audi. Fucum fecerant primi hæreseos Ministri Villagagnoni homini minimè malo, & qui cæteros ex se metiretur. Nam præter purum Dei verbum, Ecclesiæ reformationem, beneuolentiam mutuam, aliud crepabant nihil: Accedebat oris, totius corporis ad modestiam conformatio: Diceres illos ipsos esse Manichæos quos sanctus Augustinus olim in confessionib' suis depingebat: Itaq; Villagagno homo tum rerũ diuinarum parum intelligens, quod plerisque etiam alijs contigit, prima illa hæreseos congressione deiectus est, sperauit se veritatem apud nuperos illos Gnosticos inuenturum quam Catholici nondum præstitissent. Sed vt Alexandrinus Clemens memoriæ prodidit Ægyptiorum templa propylæis pulcherrimè substructis varioque marmore incrustatis exornata esse; In quæ si penitius intres Crocodilum, aut felem aut hircum aut quod aliud fœdissimi animalis simulacrum inuenies: Ita prorsus sub præclaro illo sanctimoniæ velo meram reperit Villagagno hypocrisim, auaritiam, libidinem, ambitionem, quibus offensus sese ad Ecclesiæ sinum retulit; Hæc tu veritatis & libertatis amator Thuane cum scires optimè, maligno silentio suppressisti; veritus ne quid laudis ex eo Ecclesiæ Catholicæ accederet, neu qua vocula de fratribus in Christo Caluinistis malè mereveris, si eorum orgia Brasiliana, de quibus fusè vereq; Villagagno, propalares.

Orat. Consul.

Sed

Sed quò etiam spectasse putem Thuanum cum Ioannis Lerij historiam hac de re scriptam mirificè laudat. *Scripsit*, inquit, *summa fide ac simplicitate*, An ne hoc est quod aiunt, Coruus Coruo suauiter crocitare videtur? Neque adhuc quidquam reperi ex officina hæreticorum depromptum, quod Thuano non summopere arrideret. Itaq; vt Lerij hæretici probat historiam, Ita Andreæ Theueti Catholici hominis de eadem re scriptos commentarios dici non potest quantum deprimat: *Cum vix literas sciret Theuetus*, ait, *abiecto cucullo ex monacho celeberrimus planus factus est*. Sed vnde repentè tantum aceti Thuano homini suauissimo? Amiculos suos Lutherum, Bucerum, Ochinum, Petrum Vermilium, innumerabiles alios apostatas non à fide modo etiam à religioso statu, quos sciebat abiecto cucullo in nonnarum amplexus ruisse turpiter, nunquam vocula pupugit: Theuetum cur vnum tam grauiter exagitat? Sed opinor hac se Theuetus molestia liberasset, & Thuano beneuolo vsus esset, si Catholicam cum alijs Apostatis eierasset; Quod in Ecclesiæ castris stetit, hinc illæ graues in eum Thuani querelæ. Lib. 11.

Transeo ad aliud malæ fidei in Thuano non obscurum argumentum: Georgium quendam Sophocardium concionatorem Lutheranum ex Scotia huc ad nos aduocat, diuinum prorsus hominem, qui cum iam ad palum staret, pyræ impositus, repente alta voce quæ ab omnibus sit exaudita, prædixit quæ à Deo suæ Innocentiæ vindice breui tempore sumendæ essent pœnæ de Cardinali Santandreano. *Nec vaticinio defuit exitus*, inquit Thuanus; Sic alio loco Annam Burgum præsago spiritu narrat Antonio Minario præsidi prædixisse, quæ deinde comprobauit euentus. Quis iam ergo Lutheranis facessat molestias, quos tam præsens numen sibi præcipuæ curæ esse ostendit? Alijs merces tuas & λῆρους defer Thuane: Alijs narra quod te video magno apparatu verborum facere, Sophocardium in carcere, eodem quo obijt die, cœnam Dominicam ex ritu Lutheri celebrasse: Egregiam verò laudem, si Catholicus es, obstinato defers homini, qui ne quidem vltimo illo quo vixit die, à flagitioso ritu voluit abstinere. Sed tu non σοφοκάρδιος sed μωροκάρδιος es, si prudentibus persuaderi putas posse, eum qui ad mortem vsque Lib. 3.

excucullati apostatæ doctrinam & improbissimam & impurissimam mordicus tenuerit, habuisse supplicij sui in Catholicos Deum vltorem.

Nec verò prætermitti debet dolus alius Thuano perquam familiaris. Obseruatum enim est, plerisque scriptoribus hæreticis, quos nunquam sine præconio nominat, vnum alterumue Catholicum doctorem interdum ab eo adiectum esse. An verò forte de eo dici debet, quod olim S. Hieronymus in Euagrio Pontico Origenista grauiter reprehendit: qui vt fidem verbis suis astrueret, & hæresis suæ fautores pro grauibus & sanctis viris venditaret, sancti Ioannis Anachoretæ vitam suis libris præfixit: Vt venefici, inquit ex Lucretio, *prius oras pocula circum Contingunt flauo mellis dulcique liquore*. Nisi fortè huc etiam spectauit Thuanus, vt pauculis interdum Catholicis doctoribus ieiunè laudatis, Ecclesiæ Catholicæ paupertatem, & inopiam apud nos doctorum hominum præ multitudine maxima hæreticorũ quos vulgò, Doctrinæ nomine commendat, ostenderet.

Iam verò, quorsum illud quod vbique Sectarios omnes communi Protestantium nomine complectitur? & quod hactenus sectatorum Lutheri proprium fuit, nunc etiam cum Caluinistis communicat? An ne Thuanicum siue subdolum hoc aliquid subolet? Sic opinor; Voluit Thuanus suadere imprudenti Lectori iam Caluinistas & Lutheranos eodem & nomine & dogmate consociari, neq; iam nisi forte de rebus paruulis dissidere. Qui si bona fide ageret, diuideret nominibus quos scit & sententijs & animis toto cœlo dissidere. Tentarunt ante eum idem alij, vt iunctos opinionibus sectarios omnes quasi manu facta, furiosius cum Ecclesia Catholica committerent. Sed nunquam eueniet sat scio vt Gigantes illi Calanam turrim in Deum substruentes, idem aut sentiant aut loquantur. Lupis & agnis quanta sortitò obtigit, Imò longè maior inter illos discordia est.

Lib. 71. Referendum illud quoque inter illiberales Thuani fucelas censeo, quod in Rupellæ obsidione describenda habet: Eò enim

loci

loci fateor, primùm grauiter inuehitur in Ministros quosdam, qui pro concione vulgò clamarent hostibus in eo bello impium esse parci. Sed mox scorpij in morem cauda venenum fundit, & vt loquitur Tertullianus, *arcuato ferit impetu*; Nam addit: *Cui similem opinionem à communi sensu humanitatis abhorrentem, contra belli iura & publicam fidem scissa factionibus Gallia etiam nostri Theologi Lutetiæ & in præcipuis regni vrbibus pari temeritate, haut sine magna sacri nominis infamia, his vltimis temporibus defenderunt.* Vt non tam Caluinistas suos quàm nostros Theologos hîc suo more voluisse carpere videatur. Sed hæc de plurimis pauca in priores Thuani libros adnotasse sufficiat, Nam facilius longè esse duco stabulum Augiæ expurgare, quàm omnia historiarum Thuani & menda & mendacia exhaurire. *In Scorp.*

FINIS.

QVÆ Photius in Bibliotheca de Philoſtorgio hiſtorico, & Ariano ſcribit, conueniũt optimè Thuano: ἱστορεῖ ἐναντία σχεδὸν ἅπασι τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ἱστορικοῖς, ἐξαίρει τοὺς ἀρειανίζοντας ἅπαντας, λοιδορίαις πλύνει τοὺς ὀρθοδόξους. ὡς εἶναι τὴν ἱστορίαν αὐτοῦ, μὴ ἱστορίαν μᾶλλον, ἀλλ' ἐγκώμιον μὲν τῶν αἱρετικῶν, ψόγον δὲ γυμνὸν καὶ κατηγορίαν τῶν ὀρθοδόξων, ἀνὴρ πάνυ ψευδολόγος. *Narrat ferè contraria omnibus Eccleſiaſticis hiſtorijs, laudibus extollens, quos nouit Arianiſmo infectos, & conuitijs orthodoxos perfundens: vt eſſe hoc eius opus non tam hiſtoria videatur, quàm hæreticorum laudatio, cum nuda & mera vituperatione atq́ accuſatione Catholicorum, &c.* Si pro Arianis ſubſtituas Lutheranos & Caluiniſtas, exiſtimes Photium de Thuano locutum eſſe.